EUPHORIONEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS RITE
IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS SCHULTZE
HANNOVERANUS.

ARGENTORATI
J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MÜNDEL SOCII).
MDCCCLXXXVIII.

ILLUSTRI SCHOLAE PORTENSI

BONARUM ARTIUM ALTRICI FELICISSIMAE

d. XXI Maii a. MDCCCLXXXVIII

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAVIT

GEORGIUS SCHULTZE.

I.

Euphorio quid e Lycophronis Alexandra in suum usum converterit. [1]

Lycophronis Chalcidensis obscurissimum carmen «Alexandram» studiose legisse Chalcidensem Euphorionem indeque multa in suum usum contulisse, quamquam ipso testimonio caremus, tamen comparatis utriusque operibus pro certo affirmari potest. Erat enim illi ingenium plane simile; idem studium fabularum rerumque absconditarum, eadem argumenti tractandi ratio, qua strictissimis ideoque saepe ambiguis verbis magnam rerum copiam comprehendebant et quae graviora erant, velut in transcursu leviter attingebant. Eademque qua Lycophro industria ille vocabula rarissima aut glossas aucupatus est et nova induxit aut quae ab antiquioribus poetis, maxime ex Homerica poesi tradita erant, in alium sensum conformavit. Neque

---

1 In hoc libello componendo consiliis virorum doctissimorum et illustrissimorum cum Heitzii tum Kaibelii, quo ut praeceptore quintum hunc annum uterer, optimo mihi ac felici casu contigit, multifariam adiutus sum. His pro hac in me benevolentia gratiam habeo memoremque animum praestabo.

vero omnia, quae hoc capite allaturus sum, ita accipienda sunt, quasi ex ipso Lycophronis eruditissimo carmine Euphorio mutuatus sit: interdum hoc tantum statuendum erit a communi eos auctore pendere. Et cum multa nobis apud primum sive hunc sive illum obviam fiant, caveamus, ne eos novavisse ea atque suis ingeniis excogitavisse semper arbitremur. Sane illis multo suppeditabat uberior ac locupletior rerum memoria quam qua nobis produntur: obstructos autem fontes quoniam nobis non licet aperire, etiam ea, quae inter utrumque similia et congruentia inveni, in medium proposui, cum disceptationem quaestionis vix fructuosam arbitrio iudicioque eorum qui legunt concederem.

Sed utut res se habet, Lycophronis doctrinam permultum valuisse ad studium artemque popularis poetae aetate paululum inferioris, nemo, opinor, negabit.

Atque ut leviora quaedam in principio ponam,

1. Lycophro primus in vocabulo Βέβρυξ vel potius Βέβρυκος litteram vocalem υ corripit. Vide enim:

v. 516 εἰς Βεβρύκων ῥίψειαν ἐκβατηρίαν.
v. 1305 εἰς Βεβρύκων ἔστειλαν οἰκητήριον.
v. 1474 σῴζων παλαιὰν Βεβρύκων παγκληρίαν,

quem morem Euphorio sequitur. (Fragm. 104 M. [1])

ἀπόπρο δὲ Βέβρυκα πύκτην.

Apollonius Rhodius, ut hunc adiungam, vocali υ litterae vim tribuit ancipitem. Nam et Βεβρύκων βασιλῆος vel similia ait II 2, 70, 129, 768, 792 et οὐδ'

---

1 Littera M. a me adumbrata sunt Meinekii «Analecta Alexandrina», Berol. 1843.

ἄρα Βέβρυκες ἄνδρες II 98 atque εἴσω Βεβρυκίης II 136. Apud Theocritum 20 (22), 29 Βέβρυκας metro dactylico legitur.

2. Vocem ἀστέμβακτος Lycophro primus formavit v. 1117

δύσζηλος ἀστέμβακτα τιμωρουμένη.

Ita Euphorio in Etym. Magn. (Miller, mél. de litt. gr. pag. 49) s. v. ἀστεμφής· ἀστέμβακτον· ἀκίνητον ἢ βέβαιον ἢ τετιμημένον· Εὐφορίων οἷον

πάντη δέ σε (leg. σέο) κλέος ἀστέμβακτον,

εἴρηται κατὰ ἀπόφασιν τοῦ στεμβάξαι, ὅ ἐστιν ὑβρίσαι· οὕτως ἐν ὑπομνήματι ἀνεπιγράφῳ εἰς τὸν κεχηνότα Διόνυσον Εὐφορίωνος. — cfr. fragm. 106. Meineke ex Eustathio ad Il. 235, 10, duo ultima tantum verba Euphorionis petivit.

3. Καπνὸν et λιγνὺν poeta artius iungit in verss. 293/4

ἀλλ' ὡς μέλισσαι συμπεφυρμένοι καπνῷ

καὶ λιγνύος ῥιπαῖσιν· cum quibus verbis confer Euphorionea (fragm. 60) λιγνὺν δὲ ψολόεσσαν ἀϊδνήεντά τε καπνόν.

4. Insolentiorem vocem πέμφιξ Lycophro primus de anima hominum morte defunctorum intellegit v. 1106. Agamemnonis οἰκτρὰ δὲ πέμφιξ Ταίναρον πτερύξεται et v. 686 ἀκούσει κεῖθι πεμφίγων ὄπα λεπτήν. Item Euph. (fragm. 76): ἠπεδανὸν πέμφι ες ἐπιτρύζουσι θανόντα.

5. Uterque poeta formam ‚ὕδρος' ei quae multo usitatior est ‚ὕδρα' praetulit; ille de dracone ab Jasone superato (1313), hic de vipera Munito exitiosa (fragm.55).

6. Primus Lycophro ‚δάνος' quae vox genuino sensu significat χρήματα ἐπὶ τόκοις δανειζόμενα (vel usuras), ut legitur in Call. epigr. 47. Wil. interpretatus est ‚δῶρον'.

Ita hoc ante eum insolens vocabulum quinque locis occurrit (in versibus 269, 710, 887, 1269, 1381), cum ter ‚δῶρον' usurpet. Jam Euphorio in fragm. 90

τό ῥά οἱ δάνος ὤπασεν Ἕκτωρ,

de gladio dicit quod Hector donum Aiaci dederat. Et hoc quoque forsitan e re esse possit, quod Lycophro vocem ‚δάνος‘ cum alibi tum in ea carminis parte habeat, ubi de *Hectore* Cassandram lamentantem faciat, v. 259 seqq.

7. Euphorio Medeam nominat Κυτηϊάδα vel potius Κυταικὴν (fragm. 10. cfr. Kaibelium in Herm. vol. XXII 507.) ex imitatione Lycophronis (v. 174): τὸν μελλόνυμφον εὐνέτην Κυταικῆς, τῆς ξεινοβάκχης.

8. Omisso terrae vocabulo Lycophro similiter atque dixit Homerus Ξ. 308, υ. 98 ‚τραφερὴ‘ pro eo quod est γῆ τραφερή, v. 408 orationem conformavit:

ἅπασα δ᾽ ἄλγη δέξεται κωκυμάτων,
ὅσην Ἄραιθος ἐντὸς ἠδὲ δύσβατοι
Λειβήθριαι σφίγγουσι Δωτίου πύλαι.

Quod exemplum secutus est Euph. in fragm. 78.

Φοιταλέος δ᾽ ἀνὰ πᾶσαν ἄδην ἐπάτησε κοθόρνῳ· vide Kaib. loc. cit.

9. Glossam καύηξ quae ante Lycophronem semel apud Hipponactem exstat, (fragm. 2) uterque poeta sibi permisit, ille in v. 425, 741, 789. hic in fragm. 88

τῆς οὐδ᾽ αἴθυιαι οὐδὲ κρυεροὶ καύηκες.

10. Verbo πρηνίζειν cuius vis est in terram praecipitare Lycophro utitur v. 1005.

πολλοὶ δὲ πρόσθεν γαῖαν ἐκ κείνης ὀδὰξ
δάψουσι πρηνιχθέντες. Unde Euphorio urbem πρηνίζειν dicit, fragm. 16 in fine: ὁ δὲ Εὐφορίων οὐκ ὀρθῶς λέγει περὶ τοῦ Διονύσου, ὅτι ταῖς γυναικείαις τάξεσιν ἐγκελευσάμενος ἐπρήνιξε τὴν Εὐρυμέδοντος πόλιν.

11. Rarissimum verbum ψίω uterque nuncupat de sensu tantillum discrepans. Lyc. v. 639: οὐ γάρ τις αὐτῶν ψίσεται πύρνον γνάθῳ, in significationem verbi γεύεσθαι accipit. Euph. fragm. 51 M.: λευκῷ σ᾽ ἔψισα γάλακτι

fortiorem vim huic voci tribuit, quam exprimere liceat verbo nutriendi. Ceterum ψίω occurrit apud *Hipponactem* (fragm. 33). — Cfr. n. 9.[1]

12. Ταρμύσσειν verbum Lycophro adhibet, qui v. 1177 dicit: κλαγγαῖσι ταρμύσσουσαν (= ταρβοῦσαν) ἐννύχοις βροτούς. Unde Euphorio (fragm. 103) ‚ἀτάρμυκτον' formavit.

13. Raro verbo ποιφύσσειν uterque utitur, ille v. 198: ὃν (κρατῆρα) μέλαινα ποιφύξει — δαιταλουργία. (Wilam. pro δαιταλουργίᾳ), hic fragm. 96. Ζεφύρου μέγα ποιφύξαντος. Sophro, qui hoc verbum primus admisit, μεταφορικῶς adhibet coniungens cum eo terrendi notionem: παιδικὰ ποιφυξεῖς. Ath. VII 324 f. (Kaibel).

14. Interiectionem illam ὢ πόποι in libris Homericis vulgarem Lycophro vocativum ὦ θεοὶ interpretatus est, nactus in hac re Euphorionem imitatorem.

v. 943. τοιγὰρ πόποι φύξηλιν ἤνδρωσαν σπόρον. et aeque Euph. fragm. 99 ἐν δὲ πόποις ἕσσαντο (θέσσαντο forsitan M.). Hanc voculam ingenium studiumque grammaticorum exercuisse Apollonius nos docet. Lex. hom. 133, 19. πόποι ἐπιφώνημα σχετλιαστικόν· τινὲς δὲ ἔδοξαν σημαίνειν ὦ θεοί. ὁ γοῦν Εὐφορίων φησίν: v. cit. τινὲς δὲ τούτῳ βοηθοῦντές φασι συναλοιφὴν εἶναι, ἐν δὲ ἐπόποις, ἀντὶ τοῦ ἐπόπταις.

15. Vocem κενήριον a Lycophrone pro eo quod est κενοτάφιον positam habes.

v. 370. ἀλλ' οὔνομ' οἰκτρὸν καὶ κενηρίων γραφάς nec non ab Euphorione: fragm. 81.

Ἀγχίαλον Βραύρωνα κενήριον Ἰφιγενείης.

16. Nomen χιλός Lycophro primus de nutrimento *humano* ponit.

---

1 Ex iambographorum carminibus, communi Graecae poeseos forma atque origine, Euptorio quoque haud scio an multa verba deprompserit.

v. 577. ἃς δὴ Πρόβλαστος ἐξεπαίδευσε θρασύς
μυληφάτου χιλοῖο δαιδαλευτρίας.

simulque qua ratione de cibo ferino ad homines transferri potuerit, vel v. 675 sentimus, ubi de sociis Ulixis in sues mutatis haec loquitur poeta:

οἱ δὲ δύσμοροι
στένοντες ἄτας ἐν συφοῖσι φορβάδες
γίγαρτα χιλῷ συμμεμιγμένα τρυγὸς
καὶ στέμφυλα βρύξουσιν.

Ita Euphorio quoque χιλὸν de nutrimento hominum usurpat:

Ἐς Φθίην χιλοῖο κατήιε πάμπαν ἄπαστος,
τούνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχίλεα φημίξαντο, fragm. 56.

17. Verbum φημίζειν Lycophro primus pro eo ponit quod est ὀνομάζειν cum *dupl. accus. coniunctum*. v. 1081.

σπιλὰς δ' ἐκείνη σῆς φερώνυμος τύχης
πόντον προσαυγάζουσα φημισθήσεται.

Respondent Euphorionis verba s. n. 16 exhibita.

Sed iam graviora quaedam percenseamus.

18. Inter scopulos Euboeae, ubi naves Graecorum post Troiae expugnationem dolo Poeantis naufragium fecerunt, Lycophro v. 375 saxum Διρφωσσόν numerat. Euphorionis versus (fragm. 83) Δίρφυν ἀνὰ τρηχεῖαν ὑπ' Εὐβοίῃ κεκόνιστο — schol. ad Lyc. 373 τὸν δὲ Διρφωσσὸν ὁ Εὐφορίων Δίρφυν καλεῖ. [Meineke suspicatus est κεκόνητο, hoc est occisus est, sed non recte, quia κονεῖν verbum non significat ‚interficere', id quod ille in Sophocl. Electr. versu 1386 nixus existimavit ubi νεοκόνητον αἷμα prava codicum fide legitur] probabili ratione de viro quodam e classe Graecorum in illis scopulis perempto intellegi potest.

19. Leonem Nemeensem Lycophro adumbrat verbis ‚χάρων ὠμηστός'.

v. 455. ὃν (Aiacem) χάρωνος ὠμηστοῦ δορὰ
χαλκῷ τορητὸν οὐκ ἔτευξεν ἐν μάχῃ,
quam locutionem Euphorio imitatione expressit. (fragm. 47 ex emendatione Meinekii.)

Μήνης παῖδα χάρωνα παρ' Ἀσωποῦ γενετείρῃ, eundem leonem significans.

20. Mopsopis, antiqui herois vel regis Attici, prima memoria exstat apud Lycophronem.

v. 733. κραίνων ἁπάσης Μόψοπος ναυαρχίας, unde Athenienses audiunt Μοψοπεῖοι v. 1339:

καὶ πᾶσαν Ἀκτὴν ἐξεπόρθησαν δορὶ
τοὺς Μοψοπείους αἰθαλώσασαι γύας.

Operi ei Euphorionis, quod de fabulis rebusque Atticis composuit, nomen Μοψοπίας fuisse constat.

21. Remotioris de Munito fabulae uterque poeta mentionem facit, in qua re Euphorio manifesto vestigia illius pressit. vide Kaib. l. c.

Lyc. 498.

Μουνίτου τοκάς
ὃν δή ποτ' ἀγρώσσοντα Κρηστώνης ἔχις
κτενεῖ πατάξας πτέρναν ἀγρίῳ βέλει.

Euphorionis autem versus hi sunt. fragm. 55 M.

ἡ οἱ Μούνιτον υἷα τέκε πλομένῳ ἐνὶ ὥρῳ.
ἀλλά ἑ Σιθονίῃ τε καὶ ἐν κνημνοῖσιν Ὀλύνθου
ἀγρώσσονθ' ἅμα πατρὶ πελώριος ἔκτανεν ὕδρος.

22. Arnen heroinam Boeoti a Neptuno matrem, a qua urbs Boeotiae nomen accepit, et Lycophro et Euphorio commemorat. ille v. 644. Ἄρνης παλαιᾶς γέννα; hic fragm. 49.

τόν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσαμένη τέκεν Ἄρνη.

23. Age Philoctetae e Troia reversi fata a Lycophrone Timaei historia uso ita describuntur v. 911

τόνδ' Αἰσάρου τε ῥεῖθρα καὶ βραχύπτολις

Κρίμισα φιτροῦ δέξεται μιαιφόνον — paucisque versibus interiectis pergit.

Κρᾶθις δὲ τύμβος ὄψεται δεδουπότος
εὐρὰξ Ἀλαίου Παταρέως ἀνακτόρων,
Ναύαιθος ἔνθα πρὸς κλύδων᾿ ἐρεύγεται.

Philoctetae quae acciderant Euphorio peculiari carmine persecutus est, ad quod verba Tzetzae pertinent ad Lyc. 911 (fragm. 40 M.): Φιλοκτήτης δ᾿ ἐξώσθη εἰς Ἰταλίαν πρὸς Καμπανοὺς καὶ πολεμήσας Λευκανοῖς πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου Κρίμισσαν κατοικεῖ καὶ παυθεὶς τῆς ἄλης Ἀλαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν κτίζει, ἐν ᾧ καὶ τὸ τόξον αὐτοῦ ἀνέθηκεν, ὥς φησιν Εὐφορίων. Crimisam urbem singulareque illud Apollinis cognomen Ἀλαῖος Euphorio retinuit. Crotoniensem regionem Lycophore adumbrat, qualis est apud eum perpetuus usus fluminibus Aesaro, Nauetho, quae etiam Strabo VI 282 coniungit, Crath. Nec non Euphorio flumen Nauethum novit. fragm. 41. Καὶ Ψίλιν Ἀσκάνιόν τε....... Ναυαίθοιο.

24. Βύνη· nomen antiquum Inus apud Lycophronem primum nobis occurrit. v. 107. Βυνῇ θεᾷ; rursusque v. 757.

μόλις δὲ Βύνης ἐκ παλιῤῥοίας κακῆς
ἄμπυξ σαώσει, mare ipsum vocabulo marinae deae e vulgari poetarum genere dicendi exprimit. Hinc Euphorio fragm. 91. πολύτροφα δάκρυα Βύνης. Εὐφορίων δὲ βύνην τὴν θάλασσαν λέγει, οἷον: — τοὺς ἅλας βουλόμενος λέγειν.

25. Trambeli Telamonis filii uterque memoriam servavit. Lyc. 467:

ἐλᾷ δὲ πάτρας τῆλε Τραμβήλου κάσιν, (Teucrum)
ὃν ἡ ξύναιμος πατρὸς ἐκλοχεύεται.

De Trambelo quae narraverit Euphorio habes in fragm. 21.

26. Item de Cychreo Salaminio monendum est. Lyc. 451 : ὁ μὲν (Teucer) πατρὸς μομφαῖσιν ἠλαστρημένος
Κυχρῆος ἄντρων Βωκάρου τε ναμάτων.

Euphorionis versus invenitur apud schol. Lyc. 451. τοῖος γὰρ Κυχρῆος ἐνὶ ψαφαρῇ Σαλαμῖνι (M. fragm. 17 : τοῖος ἄρ' ἦν Κυχρεύς ποτ' ἐνί — vel imperfecta sententia : Κυγχρεὺς, ὃς ἐνὶ —) Jam si reputamus fuisse qui Cychreum immanem asperrimumque insulae regem postea draconis specie mutatum esse referrent, qualis Atheniensibus contra Persas navali proelio decertantibus apparuisse dicitur (Pausan. I, 36), aptissime ἄντρα Κυχρῆος ille nominat, apposite etiam Euphorio Salamina ψαφαρήν — asperam et confragosam — vocat.

27. Cognomen illud Apollinis ,Ζωστήριος' novit Lyc. v. 1278 Ζωστηρίου τε κλιτύν, ἔνθα παρθένου
στυγνὸν Σιβύλλης ἐστὶν οἰκητήριον.

Euphorio quoque deum Ζωστήριον nuncupat, nisi quod de Apoline Zostere in vico Attico culto loquitur, ille vero apud Cumanos eum in religione fuisse ostendit. fragm. 89. Ζωστὴρ — καὶ τόπος τῆς Ἀττικῆς. Εὐφορίων. Οὗτος μὲν Ζωστῆρ Φοίβου πέδον καὶ Ζώστριος (M. Ζωστήριος) Ἀπόλλων παρὰ Ἀθηναίοις τιμώμενος καὶ ἠδ' ἐπαπειλήσας Ζωστηρίῳ Ἀπόλλωνι. Cfr. Miller, mél. de litt. gr. pag. 141.

28. De Amphilocho et Mopso vatibus inconciliabili inimicitia dissociatis Lycophro haec tradit : v. 439

Δοιοὶ δὲ ῥείθρων Πυράμου πρὸς ἐκβολαῖς
αὐτοκτόνοις σφαγαῖσι Δηραίνου κύνες
δμηθέντες αἰχμάσουσι λοισθίαν βοὴν
πύργων ὑπὸ πτέρναισι Παμφύλου κόρης.
αὐτὸς δ' ἀλιβρὸς ὄχμος ἐν μεταιχμίῳ
Μάγαρσος ἁγνῶν ἠρίων σταθήσεται,
ὡς μὴ βλέπωσι μηδὲ νερτέρων ἕδρας
δύντες φόνῳ λουσθέντα ζἀλλήλων τάφους.

Malli Ciliciae in urbe prope ad Pyramum flumen sita Amphilocho nobilissimum oraculum fuit, quod Pausanias I 34[2] μαντεῖον ἀψευδέστατον τῶν ἐπ'ἐμοῦ laudat. Cuius laudis secundum alios auctores Mopso quoque pars debita est, cum κτίσμα Ἀμφιλόχου καὶ Μόψου esse diceretur.

In hac urbe certamen illud inter eos acerrimum fuit, de quo schol. Lyc. ad. v. 440 haec habet. Ἀμφίλοχος — καὶ Μόψος οἱ μάντεις ἦλθον εἰς Κιλικίαν. μετὰ δὲ ταῦτα ὁ Ἀμφίλοχος βουλόμενος χωρισθῶναι εἰς τὸ Ἄργος, παρέθετο τῷ Μόψῳ τὴν βασιλείαν ἑαυτοῦ κελεύσας φυλάξαι μέχρι ἐνιαυτοῦ ἑνός. πληρουμένου δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἦλθεν ὁ Ἀμφίλοχος καὶ οὐ παρεχώρει ὁ Μόψος. διὸ περὶ τούτου πρὸς ἀλλήλους διαφερόμενοι ὑπ' ἀλλήλων ἀνῃρέθησαν· οὓς θάψαντες οἱ ἐνοικοῦντες πύργον μεταξὺ τῶν τάφων κατεσκεύασαν, ὅπως μηδὲ μετὰ θάνατον ἀλλήλων κοινωνήσωσιν, ὡς καὶ ὁ Εὐφορίων (fr. 50)

Πύραμον ἠχήεντα. πόλιν δ' ἐκτίσσατο Μαλλόν.
ἧς πέρι δῆριν ἔθεντο κακοφράδες ἀλλήλοισιν
Μόψος τ' Ἀμφίλοχός τε καὶ ἄκριτα δηρινθέντες
μουνὰξ ἀλλίστοιο πύλας ἔβαν Ἀϊδονῆος.[1]

Is de quo primo versu praedicatur, nimirum Amphilochus est, quem pervenisse ad flumen illud Euphorio dixerat. Pyramum igitur flumen ille retinuit. Jam vero Lycophro vates alternis manibus mortem sibimet paravisse expressis verbis exponit: obscuriora imitatoris verba ultima sunt. μουνὰξ enim quid significat? Nempe separatim eos ad sedes Stygias profectos esse, non una communique morte exstinctos. Quam ob rem primo obtutu conicias Euphorionem alio ex auctore pendere, qui eos non eodem temporis momento interfectos esse narraverat, dico Hesiodum. Is enim

---

[1] Verba ex emendatione Meinekii adhibita sunt.

teste Strabone § 675: ἐν ξόλοις ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεθῆναι τὸν Ἀμφίλοχόν φησιν · οἱ δὲ περὶ τὸ Ἀλήιον πέδον, οἱ δὲ ἐν Συρίᾳ ἀπὸ τοῦ Ἀληίου ἀνιόντα διὰ τὴν ἔριν. Quid? si voluit Euphorio quoque indicare post dissensionem inter utrumque exortam regressum esse Amphilochum atque alio loco, alio tempore, alio modo diem supremum obiisse? Attamen ista interpretatio stare non potest, siquidem verbis schol. fidem imputamus: ὑπ' ἀλλήλων ἀνῃρέθησαν et quae sequuntur. Euphorio igitur si μουνὰξ ait, hoc dicit alterum ab altero, dum via ad inferos ferenti proficiscerentur, hostili animo secessisse neque quidquam societatis inter eos fuisse. Atque etiam de turri inter eos exstructa mentionem iniecisse Euphorionem e schol. verbis concludi potest, ita ut narrationem Euphorionis prorsus respondere Lycophroneae concedendum sit.

29. Aegyn urbem Lacedaemoniam in confiniis Arcadiae sitam primus Lycophro memorat, cum Helenen Aegyam canem vocet. v. 850

καὶ πάντα τλήσεθ' οὕνεκ' Αἰγύας κυνός,
τῆς θηλύπαιδος καὶ τριάνορος κόρης.

Ipsum urbis nomen Euphorio nobis sumministrat in fragm. 116.

30. Wilamowitz quae de Iphigeniae origine exposuit (in Herm. volum. 18, 240 seqq.) hic brevibus verbis repetere necesse est. Lycophro, ut memoria antiquissimae Atticae fabulae prodebatur, Iphigeniam Thesei et Helenae filiam finxit. (v. 146, 513 cum schol.) Ita etiam Euphorio narrat fragm. 61. (Etym. M. 408, 8 s. v. ἶφις. — Ἰφιγένεια · Εὐφορίων αὐτὴν ἐτυμολογεῖ ἀγνοῶν αὐτὴν Ἀγαμέμνονος οἴεται δ' αὐτὴν Ἑλένης καὶ Θησέως, ὑποβλητὴν δὲ δοθῆναι Κλυταιμνήστρᾳ · οὕνεκα δή μιν ἶφι βιησαμένῳ Ἑλένη ὑπεγείνατο Θησεῖ.

Helena igitur Iphigeniam sorori dedit, ut Agamemnoni supponeret. Qui suam esse eam ratus Braurone cum sacrificaret, Diana *ursa* subdita servavit atque deam fecit. Sepulcri autem eius, quod Braurone ostendebatur, Euphorio ut κενηρίου (h. e. κενοταφίου) memor est, cuius rei testimonium schol. Aristoph. Lys. 645 subest. οἱ δὲ τὰ περὶ Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνί φασιν, οὐκ ἐν Αὐλίδι · Εὐφορίων · ἀγχίαλον Βραυρῶνα κενήριον Ἰφιγενείης. (81 M.) δοκεῖ δὲ Ἀγαμέμνων σφαγιάσαι τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνι, οὐκ ἐν Αὐλίδι καὶ ἄρκτον ἀντ' αὐτῆς, οὐκ ἔλαφον φανῆναι, ὅθεν μυστήρια ἄγουσιν αὐτῇ.

31. Τυμφρηστός, pars Pindi montis, primum apud Lycophronem obviam fit. 420 Τυμφρηστὸν αὐγάσαι λέπας. et 902 πάγων Τυμφρηστίων. Euphorio fragm. 84 Βουκολέων Τρηχινίδα Τυμφρηστοῖο αἰπῆς.[1]

32. Ut Lycropho multa, quae ad bellum Graecorum cum Troianis gestum spectant, singularia ac remota profert, ita Euphorionem quoque multifariam haec argumenta tractasse aut certe tetigisse e fragmentis apparet. Stesichorus Hectorem Apollinis filium nominavit. De Hectore igitur Cassandra Lycophronea lamentatur v. 265.

τὸν φίλτατόν σου τῶν ἀγαστόρων τρόφιν
Πτῴου τε πατρὸς (Apollinis) ἁρπάσας μετάρσιον.

Testibus schol. Lyc. 266 et schol. Ven. ad. Il. 314 = M. fragm. 125. Euphorio quoque Hectorem divina origine natum effinxit.

33. Idem Stesichorus Ulixem in scuto delphinis signum gessisse narravit. Qua nota Lycophro eum v. 658 nobis repraesentat. δελφινόσημον κλῶπα Φοινίκης θεᾶς, Scutum Ulixes hac figura ornatum Euphorio quoque

---

[1] Apud Parthenium (fragm. 45) — in fine hexametri — Τυμφρήστιον αἶπος legitur.

novit. Schol. Lyc. 658 = M. 126. Στησίχορός φησι τὸν Ὀδυσσέα ἐπὶ τῆς ἀσπίδος φέρειν δελφῖνος τύπον· καὶ Εὐφορίων ὁμοίως τούτῳ συμφθέγγεται.

34. Bellum Troicum cum nondum exarsisset, Hecuba Alexandro gravida per somnium ex utero facem vel torrem [unde Alexander appellatur γρυνός v. 86, 1362 aut φιτρός 913] provenientem vidit totamque urbem corripientem. De qua re certior factus Priamus Aesacum vatem, quem ex Arisbe priore coniuge sustulerat, de portento consuluit. Neque tamen cum ille matrem atque infantem perimendos esse respondisset, rex dicto audiens fuit. Haec testatur Lycophro, qui primus vatis Aesaci memoriam servavit, versu 224 seqq.

μὴ δ' Αἰσακείων οὑμὸς ὤφελεν πατὴρ
χρησμῶν ἀπῶσαι νυκτίφοιτα δείματα,
μιᾷ δὲ κρύψαι τοὺς διπλοῦς ὑπὲρ πάτρας
μοίρᾳ, τεφρώσας γυῖα Λημναίῳ πυρί.
οὐκ ἂν τοσῶνδε κῦμ' ἐπέκλυσεν κακῶν.

Cum hoc oraculo noli confundere alterum, quod quondam accepisse Priamum ferunt. Schol. Lyc. 319. Πριάμου χρειομένου ἐν Ζελείᾳ περὶ τῆς βασιλείας ἐχρήσθη αὐτῷ ἀνελεῖν τὴν νεωστὶ τετοκυῖαν καὶ τὸ γεννηθέν. ἔτυχε δὲ ἡ μὲν Ἑκάβη τεκοῦσα τὸν Ἀλέξανδρον, ἡ δὲ Κίλλα (soror Hecabes) τὸν Μούνιππον. φεισάμενος οὖν τῆς Ἑκάβης ἀνεῖλε τὴν Κίλλαν καὶ τὴν παῖδα αὐτῆς Μούνιππον. Haec ut ipsius poetae verbis collustrem, fore ait v. 318 Laodice ut voragine terrae absorberetur ibi,

ἵν' ἄλμα πάππου καὶ χαμευνάδος μόροι
τῆς λαθρονύμφου (Cillae) πόρτιος μεμιγμένοι
σκύμνῳ (Munippo) κέχυνται, πρὶν λαφύξασθαι γάνος,
πρὶν ἐκ λοχείας γυῖα χυτλῶσαι δρόσῳ.

Tene, quaeso, alterum hoc oraculum Priamo editum post partum exitiosi Troiae infantis et non ab Aesaco

pronuntiatum, Priamumque ut periculum instans propelleret, sive inscitia sive de industria inter puerperas non Hecubam, sed Cillam ad mortem elegisse. Age vero coniux Cillae est Thymoetas, nobilissimus inter Troianos vir (sch. Lyc. 319) atque adeo opinione aliorum cognatus Priamo. Nunc Euphorionis verba consideremus. Serv. ad Aen. II 32 (= M. fragm. 150). Ut Euphorio dicit, Priamus ex Arisba filium vatem suscepit, qui cum dixisset, quadam die nasciturum esse puerum, per quem Troia posset everti, pepererunt simul et Thymoetae uxor et Hecuba, quae Priami legitima erat. sed Priamus Thymoetae filium uxoremque iussit occidi.[1] Primum nomina ex Lycophrone substituamas: vates ille ex Arisba filius Aesacus est, uxor Thymoetae Cilla, eius puer Munippus. Statim autem apparet conflasse Euphorionem duas quas Lycophro seiungit fabulas vel, si hoc magis placet, oracula. Nam Aesacus expressis verbis de sacrificio Hecubae eiusque infantis admonuerat, et de altera puerpera immolanda tum demum cogitari poterat, postquam alterum illud oraculum Zeleiae rex accepit.

---

[1] Paululum a Lycophrone distat Apollodori narratio III 12 5. Aesacus, Arisbes filius, cum de terribili viso Hecubae a rege rogatus *solum infantem* exponi iussisset, Priamus *vati oboediens* puerum famulo tradit. Tamen exitium eius, quippe qui pestis patriae futurus esset, fato prohibitum est.

II.

Ovidius Euphorionis carminibus usus.

Hanc quaestionem priusquam instituam, de carminibus ipsis Euphorionis pauca, quae ad sensum necessaria sunt, exponere opus est, quamvis vix quae prorsus certa sint eloqui liceat. Plerumque enim propter penuriam fragmentorum Suidaeque verba ita in breve contracta, ut non una obscuritate laborent, ad nostrum iudicium refugiendum est conantibus ea quae discerpta et dissociata passim iaceant artiore inter se vinculo constringere. Exclusis igitur a limine iis operibus quae pedestri ille sermone confecit omissisque epigrammatis tria nobis a Suida carmina epica citantur: Hesiodus — e quo nihil nobis innotuit — Chiliades, Mopsopia sive Atacta, e quibus operibus pauca fragmenta ad nos pervenerunt.

Nascitur statim dubitatio, num carmina omnia grammaticus ille enumeraverit an potiora fere adnotare contentus minora neglexerit; quae dubitatio inde valde augetur, quod multi nobis carminum tituli obviam fiunt, qui utrum peculiaribus libris an partibus quibusdam e maioribus libris seorsum citatis inscripti fuerint, ignoramus. Sed quales hi tituli sint, ante omnia videamus, cum in quattuor, si placet, genera distribuamus.

1. Atque primo loco nominandi mihi sunt ii tituli, quos nomina hominum sive notorum sive Euphorionis familiarium esse facile perspicias. Quos viros cum poeta aliquod commercium litterarum, ut ita dicam,

habuisse, veri simile et, quod ad Theodoridam attinet,[1] adeo certum est. Sunt igitur hi:

Ἀλέξανδρος fragm. 1;
Ἀπολλόδωρος fragm. 4, 5;
Ἀρτεμίδωρος fragm. 7;
Δημοσθένης fragm. 9;
Ἱππομέδων fragm. 17, 18;
Πολυχάρης fragm. 34.

Huc, credo, pertinent, quae a Clemente Alex. nuncupantur ἀντιγραφαὶ πρὸς Θεοδωρίδαν fragm. 3. Quo carmine quid tractaverit poeta, dici nequit itemque de indole ac ratione eius ambigitur. Fortasse eandem rem quam Theodoridas narraverat, ille quoque, sed diversa ratione exposuit aut carmen illud dedicatorium fuit, quo rursus gratiam voluntatemque suam erga familiarem ostenderet. At vide, an genuinus titulus fuerit Θεοδωρίδας, quem Clemens aut quicunque ante eum alius grammaticus amplificavit, cum accuratius carminis argumentum ac consilium adumbrare studeret.

2. Secundum locum carmen obtinebit, quod nomine Θρᾷξ fertur. Quod quid sibi velit, prorsus mihi dubium est: siquidem argumentum respicias, continuisse hoc poematium seriem fabularum nulla ut videtur necessaria inter se ratione conexarum. Has autem fabulas narravisse Euphorionem fragmenta docent:

19. fugam Amphiarai equis ex ignoto quodam proelio servati.

20. Harpalyce a patre vitiata quomodo fratrem minorem in epulis illi apposuerit.

21. Trambelus cum item incestas manus filiae Apriatae inferre vellet, quomodo postea ab Achille Lesbum devastante occisus sit.

---

[1] Cfr. Anth. Pal. VII 406. (Theodoridae).

22. Thebarum denique portae Oncaeae memorantur.

23. De Hippocoontis filiis ut qui Dioscurorum ἀντιμνηστῆρες fuerint.

3. Iam ea carmina recensenda sunt, quorum tituli ex ipsis argumentis nomen habeant.

Γέρανος fragm. 8, si re vera Euphorionis ac non Archytae est.

Ἄνιος fragm. 2.

Φιλοκτήτης 39, 40.

Ὑάκινθος 36-38.

Διόνυσος 10-16.

Ἱστία καὶ Ἴναχος 24. Duo carmina haec fuisse statuendum est, nisi quis corruptelam subesse suspicatur. Hoc loco referre licet carmen in Bacchum hiantem compositum quod citatur in Milleri mel. de litt. gr. pag. 49 ἐν ὑπομνήματι ἀνεπιγράφῳ εἰς τὸν κεχηνότα Διόνυσον. et pag. 260 ῥαιβηδὸν ἐν Διονύσῳ κεχηνότι. Huic carmini tribuendum est fragm. 122.

4. Restant aliquot tituli, qui probabiliori explicationi repugnant. In quorum genere est Ξένιον, bis a grammaticis (ἐν Ξενίῳ) citatum. Quod cum ad id genus titulorum, quos primo loco collocavi, pertinere non possit — neque enim quisquam Euphorionis aetate sic nuncupatur — esse debet ξένιον, h. e. carmen dedicatoriorum, sed sino dubio longiore argumento quam ἀποφόρητα illa Martialis. Qua re si quis primo titulorum ordini hoc carmen adscribendum censet, nihil equidem obstabo. Porro Κλιτορίς exstat. cfr. fragm. 69. Stephanus Byz. s. v. Ὠρωπός: πόλις Μακεδονίας — — καὶ ἄλλη Βοιωτίας περὶ ἧς Εὐφορίων Κλιτορίς: Αὐλίς τ' Ὠρωπός τε καὶ Ἀμφιάρεια λόετρα. Meineke de Clitore cogitavit, «qui fuit Azanis Arcadici regis filius, τῶν βασιλέων δυνατώτατος, ut est apud Pausaniam Arcad IV 3. et propter funebres ludos quos primus omnium instituit, celebratus». Videant alii. Ad quae

novus titulus accedit, qui verbis corruptis ἄνιν εὐηλίοισιν latet, quae leguntur in duobus codicibus schol. Phoen. Eurip. (ed. Schwartz) v. 682 cfr. M. fragm. 48, apud quem verba illa desunt. δεδόσθαι γὰρ τὰς Θήβας τῇ Περσεφονείᾳ ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀνακαλυπτήρια λέγεται, ὡς Εὐφορίων ἄνιν εὐηλίοισιν:

ἀλλ' οὔπω Θήβῃ πεπρωμένα κεῖτο* τάλαντα·
τήν ῥά ποτε Κρονίδης δῶρον πόρε Περσεφονείῃ,
ὃν γαμέτην ὅτε πρῶτον ὀπωπήσασθαι ἔμελλεν
νυμφιδίου σπείροιο παρακλίνασα καλύπτρην.

Revertor ad Chiliades, quod opus Suidas affert.: Χιλιάδες, ἔχει δὲ ὑπόθεσιν εἰς τοὺς ἀποστερήσαντας αὐτὸν χρήματα, ἃ παρέθετο ὡς δίκην δοῖεν κἂν εἰς μακράν· εἶτα συνάγει διὰ χιλίων ἐπῶν χρησμοὺς ἀποτελεσθέντας. εἰσὶ δὲ βιβλία έ. ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη χιλιὰς περὶ χρησμῶν, ὡς χιλίων ἐπῶν ἀποτελοῦνται. Quo carmine castigatos fuisse videmus homines quosdam, qui poetae res sive pecunias quas eorum fidei commiserat per fraudem non restituissent. Atque optimo casu factum est, ut versus supersit, qui aptissime ad hanc rem pertineat: Ὅστις μευ κελέβην Ἀλυβηίδα μοῦνος ἀπηύρα. (fragm. 6), citatus a Stephano Byz. s. v. Ἀλύβη. ἔστι καὶ Ἀλυβεὺς καὶ Ἀλυβηίς. Εὐφορίων ἐν Ἀραῖς ἢ Ποτηριοκλέπτῃ. ὅστις κ. τ. λ. τουτέστι τὴν ἀργυρᾶν διὰ τὰ μέταλλα. cfr. schol. Theocrit. II 2.: Εὐφορίων ἐν Ποτηριοκλέπτῃ: ὅστις κ. τ. λ. Iam Alyben urbem idcirco posuit Euphorio, ut significaret illud poculum pretiosissimum fuisse, quia ea urbs argenti copia abundaret. (Il. B 857.) Poculumque tibi finge eum in universum pro rebus, quas sibi ereptas esse conquerebatur poeta, posuisse: nonne idem vides argumentum quod Suida teste χιλιάδων carmine tractavit? Unde sequitur carmen illud « ἀραῖ ἢ ποτηριοκλέπτης » partem fuisse eius operis atque adeo totum librum ex quinque illis a Suida nominatis effecisse. Proprios enim titulos singulis libris inditos fuisse, vel inde cognoscimus, quod

de titulo quinti libri expressis verbis nobis fit notitia. Quod carmen quali indole fuerit, si quis quaeret, satis erit admonere de Ibide Ovidii, quod poematium prorsus ad similitudinem Callimachei Ibidis compositum esse ipse non uno loco confitetur. Plena erant huius modi carmina conviciorum et detestationum hominibus quibusdam ingestarum, quos cum poetis obtrectassent sive nocuissent, poenae loco acerbissimo dirarum sale perfricuerunt perduxeruntque in ora ac ludibria vulgi. Atque ea mala, quae ut istis acciderent, optabant similibus exemplis e fabularum memoria depromtis aut adumbrabant aut collustrabant et in maius augebant. Pro multis ut unum addam, Ovidius cum inimico illi nomine ibidis notato caecitatem oculorum imprecatur, quantam seriem hominum caecorum conectit! v. 259-272.

Ἀραὶ Euphorionis quoniam dictae sunt, Moerus ἀρῶν mentio obiter inicienda est, ne illa carmina titulorum similitudine decepti aequali quoque argumento fuisse a limine opinemur. Narrabat autem Moero, ut e Parthenii cap. 28 discimus. quomodo Alcinoe Corinthia mulierem aliquam lanificam mercede conductam pretio debito fraudasset, illa autem multis precibus auxilium Minervae implorasset. Quibus deam annuentem mulierem illam insano amore hospitis cuiusdam incendisse et morte punivisse. Quam quidem fabulam — neque enim quidquam praeter eam de carminis argumenti compertum habemus-totum carmen explevisse per se est valde incredibile. Quas enim una muliercula tam pusilla re decepta multas preces — et in his cardinem rei versatum esse carminis ipse titulus indicat — ad aures deae effundere potuit? Ergo alias etiam fabulas Moero eo collegerat, quibus si quid e nomine ἀρῶν enucleari possit, hoc forsitan commune fuerit, quod in argumentis homi-

num fraude qualicumque ab aliis circumventorum et qui precibus et detestationibus auxilium aut ultionem sibi pararent, versarentur.

Sed num certum consilium Moerus poematio subfuerit, num certos quosdam homines, ut Callimachus et Euphorio et Ovidius maledictis castigare voluerit, hoc quis pro explorato haberi posse spondeat?

Redeat necesse est eo disputatio, unde deflexit: nam maior adhuc de Euphorionis carminibus disponendis superest difficultas et quam ostendere magis quam removere possum. Quam enim rationem interesse censebimus inter tria illa maiora (vel duo) opera a Suida citata et ea carmina, quorum titulos ego locis primo tertioque enumeravi? Factum esse potest, ut *partes* singulae maiorum operum peculiaribus titulis sive ab ipso poeta sive a posterioribus interpretibus secundum argumentorum genera significarentur. Quod quidem bene quadraret ad carmina illa: Φιλοκτήτης, Ἄνιος, Διόνυσος, Ὑάκινθος, similia; quae num Hesiodi, num Mopsopiae, num Chiliadum partes fuerint, non est qui diiudices. Jam vero quo loco collocanda sunt carmina ea, quae in primo ordine proposui? Nomina autem propria de aequalibus hominibus usurpata si titulorum loco quis poeta carminibus praescribit, non sine causa cogitamus de carminibus dedicatoriis, de ξενίων genere, e quo unum hoc titulo citatum superesse memento, (pag. 21 n. 4). Deinde animadverte in carmine «Hippomedon» de Cychreo heroe Salamineo Euphorionem exposuisse. At vero Cychreus teste schol. Lyc. ad v. 451 ἦν Κέκροψ ὁ διφυής, Salamis insula dicionis Atheniensium est, Cecrops item ad cultum Atticum spectat. Ergo Atticam fabulam hoc carmine narravit Euphorio: pars ergo est eius maioris operis quod de rebus fabulisque Atticis

agebat, Mopsopiam dico. Aequa ratione «Διόνυσος» partem Mopsopiae effecisse concludi potest. Fragmentum enim 11 = Steph. Byz. s. v. Ὠρύχιον.

Ἴχνος ἂν Ὠρυχίοισιν ἐν ἕρκεσιν ὀκλάσσαιντο (ex emend. Meinekii) ad nescioquam Atticam fabulam spectat, cum Ὠρύχιον locus Atticae sit. Forsitan in hoc carmine etiam adventum Bacchi in Atticam, domum Icarii devertentis et fata illius filiaeque narraverit, quam fabulam Nonnus, quem hoc Euphorionis carmine usum esse postea docebo, libro 47 expedivit. Hoc autem concesso nonne eadem ratione de ceteris huius modi poematiis concludere aut saltem conicere licet, Alexandro, Demosthene, Apollodoro, Artemidoro, ceteris? Possunt sane particulae esse Hesiodi vel Chiliadum, hoc non premo, sed illud tantum ago, ne quis ea peculiaria carmina effecisse existimet.

Quas difficultates, cum Meinekii disputatione pag. 15—29 non distincte aperiantur, strictius iterum quin tangerem facere non potui. Simul ea addidi, quae post aetatem illius doctissimi viri interpretes Chalcidensi poetae vindicaverunt. [1]

Tandem via patefacta est ad eam quam mihi hoc capite proposueram quaestionem. Nam ipsa fragmenta Euphorionis si examinamus, saepenumero eum videmus ea argumenta tractantem, quae maximam habeant similitudinem cum iis rebus, quas Ovidius sive in metamorphoseon libris sive fastorum narravit. Referenda sunt huc omnia ea quae proprio sensu μεταμορφώσεις dicimus, καταστερισμοὶ porro, ἀφανισμοί, κτίσεις

---

[1] His adiungenda sunt verba apud Mill. pag. 47, 76 δεξιτερὴν ὑπερέσχε καὶ ὀχθηρῆς Γερανείης, e quibus prior pars hexametri apud M. deest (fragm. 92). Deest quoque integer hic versus. Miller, p. 46 s. v. ἄρρατος, Ἀμέρος ἀρράτοι[ο] φόωσδ᾽ ἀνὰ Κέρβερον ἄξων. de quo postea dicendum est.

etiam et quae cetera huius generis sunt. En apud Euphorionem Niobe post tristia suorum fata lapide conversa = M. 135; Saro venator, cum in mare incidat, nomen ei indens = 139. Orio mira origine natus inter sidera receptus 108, 109. Narratur Aiacem et Hyacinthum in hyacinthum florem 36, Harpalycem in χαλκίδα avem transformatam esse 20. Exposuit poeta de aconiti origine, 28, de Crimisa a Philocteta condita 40, de Hyla a nymphis rapto 94, 149, de Iphigenia divina ope e periculo bestia supposita ablata 81, de Edessa urbe a Carano caprarum nomine denuo instaurata, 24. His in universum fere monitis aliquot locos Ovidianos tractabo, quos ex Euphorione eum desumpsisse persuasum habeo.

1. Euphorionei fragm. 131 verba haec sunt: Οἰνεῖ ἀμελήσαντι τῆς Ἀρτέμιδος θυσιῶν ἕνεκα ἡ θεὸς ὀργισθεῖσα ἔπεμψε τῇ πόλει σῦν ἄγριον, ἐφ᾽ ὃν ἦλθε στρατεία τῶν ἀριστέων τῆς Ἑλλάδος — μεθ᾽ ὧν ἦν καὶ ὁ Θερσίτης, ὃς δειλωθεὶς κατέλειψε τὴν παραφυλακὴν, ἐφ᾽ ἧς ἦν καὶ ἀπῆλθεν ἐπί τινα τόπον ὑψηλὸν, τὴν σωτηρίαν θηρώμενος· ὀνειδιζόμενος δὲ ὑπὸ Μελεάγρου ἐδιώκετο, καὶ κατὰ κρημνοῦ πεσὼν τοιοῦτος ἐγένετο οἷον ὁ Ὅμηρος παρίστησιν. ἱστορεῖ Εὐφορίων. Induxerat igitur Euphorio sano atque honesto corpore Thersiten atque etiam causam exposuerat, cur, cum antea talis esset, eam deformitatem habitus nancisceretur, qualem vulgo in eo cernimus. Jam auctor operis epici cui nomen Αἰθιοπίς est Thersiten nobili facie praeditum finxerat, quod quidem e libro I Quinti Smyrnaei, cui ὑποθέσεις huius operis pro exemplari fuisse constat, certo evincere possumus. Agrius enim, cui in Iliade nullus est locus, qui pater Thersitae dicebatur, frater est Oenei, e cuius genere per Tydeum Diomedes originem habet. Unde Diomedes Thersita ab Achille interfecto ira graviter inflammatus est. I 767.

Τυδείδης δ' ἄρα μοῦνος ἐν Ἀργείοις Ἀχιλῆι
χώετο, Θερσίταο δεδουπότος, οὕνεκ' ἄρ' αὐτοῦ
εὔχετ' ἀφ' αἵματος εἶναι, ἐπεὶ πέλεν ὃς μὲν ἀγαυοῦ
Τυδέος ὄβριμος υἱός, ὁ δ' Ἀγρίου ἰσοθέοιο,
Ἀγρίου, ὅς τ' Οἰνῆος ἀδελφεὸς ἔπλετο δίου.
Οἰνεὺς δ' υἱέα γείνατ' ἀρήιον ἐν Δαναοῖσιν
Τυδέα, τοῦ δὲ τέτυκτο πάϊς σθεναρὸς Διομήδης.

Reliqua autem praeter Quinti narrationem memoria Thersitae corpore non deformi praediti prorsus exstincta est, nisi quod unus Ovidius huius fabulae vestigia certa nobis servavit: e Ponto III 9[9].

Auctor laudat opus; sic forsitan Agrius olim
Thersiten facie dixerit esse bona.

Hic si quis ipsa vetustissima carmina epica lectitasse Ovidium iudicat, suo periculo hoc arbitretur. Sed graviora videamus.

2. In metamorphoseon libris cum alia miramur tum qua arte, quo ingenio Ovidius magnam seriem fabularum per se integrarum in maiores partes comprehenderit, cum aptissimo et iucundissimo genere coniungendi, quo arida atque incompta enumerationis forma vitaretur, singulas fabulas constringeret et leviores iis quae graviores essent, subiceret. In qua re quibus artificiis usus sit, uno fere exemplo ostendere sufficiet. Ovidius cum l. III 318—338 Tiresiam in lite iocosa a Jove instituta pro oculorum damno scientiam rerum futurarum adeptum esse retulerit, fabulam de Narcisso narrat; qua fidem famamque vatis comprobatam esse (338—510). Attamen Pentheus eam pro nihilo habet imprimisque nova Bacchi sacra aspernatur (511 — 700) donec morte crudelissima pro ferocia poenas solveret. 701—734. Utque rex Pentheus ita nobiles Minyeides feminae adventicio deo infensae sunt cete-

risque eum colentibus assidue ad lanificium sese applicant IV 1—54; in quo opere tempus sermonibus trahunt, cum una de Pyrami Thisbesque fatis, 55 165, altera de Solis amoribus 166—270, tertia de Salmaci referat 271—388. Iam Ovidius quomodo illae a deo irato poenas passae sint, exponit 389—415. Nec vero Juno potentiam in dies crescentem privigni invisi perfert et ne ab illo superetur, malis domui Cadmeae inflictis, quid ipsa valeat, aperit 416—603. Sed nolo in his diutius commorari: in libro primo ad hoc enim tendo, Pythium draconem ab Apolline peremptum esse tradit; ad cuius facti memoriam Pythios ludos sollemniter institutos v. 448.

His iuvenum quicumque manu pedibusve rotave
Vicerat, aesculeae capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat; longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.

Ultimos autem versus ob eam causam adiecit, ut aptum sibi ad Daphnen arbore illa ex illo tempore deo sacra transformatam transitum faceret. 452—568, Cum his verbis Euphorionea comparari velim in fragment 47.

Κλαίοντες δέ τε κοῦρον ἐπ' ἀγχάιλοις πιτύεσσιν
κάτθεσαν, ὁκκότε δὴ στεφάνων ἄθλοις φορέονται.
οὐ γάρ πω τρηχεῖα λαβὴ κατεμήσατο χειρῶν.
Μήνης παῖδα χάρωνα παρ' Ἀσωποῦ γενετείρῃ,
ἐξότε πυκνὰ σέλινα κατὰ κροτάφων ἐβάλοντο. [1]

---

[1] Verba e M. correctione exhibui, nisi quod v. 1 pro ἐπ' ὑπ' legendum erit. (Kaibel). «κλαίοντες sc.: Donacinus et Amphilochus, quos Melicertae corpus sive fluctibus littori appulsum sive delphino in oram delatum (Paus. II 1) iubente Sisypho sustulisse testatur schol. Pind. Isthm. p. 515, 13 B kh. Melicertae corpus appulsum cum tolli iussisset Sisyphus, Isthmiorum ludorum solemnitatem uni adhuc Neptuno consecratam, ita instituit, ut Melicertam in eiusdem honoris societatem admitteret.» M.

Verbis Plutarchi, qui hos versus citat, in ludis Isthmiis primitus pinum pro certaminis praemio victoribus datum esse docemur. Nondum enim, ait Euphorio, Hercules Nemeensem leonem (Μήνης παῖδα Χάρωνα) perdomuerat; nondum — hoc subaudiendum est — in memoriam huius victoriae Nemeenses ludos instauraverat vel sacraverat, in quibus serta ex apio nexa loco praemiorum habebantur, quod apium post Herculis tempora etiam ad Isthmios ludos pervenit atque in locum pinearum coronarum successit.

Mira in re est utrimque consensio: ut Apollo caput aesculea fronde circumdat, quia nondum laurus exstitit, ita Corinthii iuvenes pinus diebus sollemnibus honorem gerunt, quia nondum apii usum compertum habent. Apollo vero ut arbore sacra procreata coronam aesculeam deponit, ita iuvenes illi apium sollemne accipiunt. Ovidii verba, quid sibi vellent, explicavi: sunt sane artificiose adiecta. Quod artificum utrum ipse invenit an Euphorionem imitatus est in simillima re versantem? Dolendum est, quod nescimus, qua ratione versus allati cohaeserint cum iis qui antecedebant et sequebantur. Sed ad ipsam verborum similitudinem animum, quaeso, advertas. Incipit Euphorionis versus: οὐ γάρ πω, Ovidianus cum ‚nondum' particula; πυκνὰ σέλινα κατὰ κροτάφων ἐβάλοντο respondent Ovidianis verbis: Longoque decentia crine tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus. Age vero alia perpendamus. Libro XII Ovidius Graecos ad Troiam pervenisse narrat (1—39). Inter Troianos etiam Cygnum refert, quem dum pro patria mortuum Achilles spoliare parat, cygno ave mutatus est (64—145). Post eam pugnam utraequae partes sese otio tradunt et Graeci corporibus festis diebus curatis nocturnis etiam sermonibus se delectant, quorum maximam par-

tem, ut par est, Nestor facundissimus senex explet. Ita de Caeneo refert descenditque ad certamen inter Centauros et Lapithas commissum, cui ille interfuit (158—535). Pauca deinde Tlepolemo locuto Nestor iterum sermonem excipiens Periclymeni fata edit (536—576). Novo exemplo sollertiam Ovidii in fabulis commode collocandis deprehendimus. Quid? De Periclymeno haec in principio dixit v. 556.

> cui posse figuras
> *Sumere* quas vellet rursusque reponere *sumptas*
> Neptunus dederat.

Euphorionis post hos versum cognoscas. fragm. 77. Ὅς ῥά (Periclymenus) τε πᾶσιν ἔικτο θαλάσσιος ἠύτε Πρωτεύς. Eadem fere quae Ovidius habet, nisi quod ille anadiploseos quae vocatur figura adhibita, id quod Euphorio verbis πᾶσιν ἔικτο θαλάσσιος ἠύτε Πρωτεὺς comprehendit, in duas quodammodo partes distrahit.

De Periclymeno autem, id quod gravius est, Nestorem narrantem inducit Ovidius, cum conventum vel colloquium inter duces Graecorum habitum describat. Eundem Nestorem de Troianis rebus loquentem effinxit Euphorio nescioquo in carmine. M. 75 ὁμοίως καὶ ὁ Εὐφορίων ὁ ποιητὴς τὸν Νέστορα παράγει λέγοντα· οἱ δ' οὔπω Σιμόεντος Ἀχαΐδας ἤρσαμεν ἵππους, quibus verbis conqueri illum tam lente Troiae expugnationem procedere M. probabili ratione suspicatus est. Graecos vero frequenter nocturnis temporibus ad Nestorem congressos — ut est apud Ovidium — tamquam aegrotantes medici ope sese adlevaturos Euphorio quoque nobis repraesentat. Pro locupletissimo testimonio hos versus superstites habemus M. 59.

> πολλάκι οἱ κλισίῃσι Πυληγενέεσσί τε νηυσίν
> ἐννύχιοι πίλναντο νοσῶν ἅπερ ἰητῆρος.

de quibus cfr. Kaibelium Herm. in vol. XXII 508.

3. Schol. Theocr. X 28 haec adnotat: τὸ πάθος τοῦ Αἴαντος ὑποφαίνει εἰς τὸν Εὐφορίωνα φείδων εἶπεν, aut ut altera lectio est et quam saniorem esse facile apparet: εἰς ὃ Εὐφορίων ἀπιδὼν εἶπε, διττῶς γὰρ ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν γράφεται (= M. 36).

Πορφυρέη ὑάκινθε, σὲ μὲν μία φῆμις ἀοιδῶν
Ῥοιτείης ἀμάθοισι δεδουπότος Αἰακίδαο
εἴαρος ἀντέλλειν, γεγραμμένα κωκύουσαν.

E sanguine Aiacis effloruisse hyacinthum ait, sed non id communi et unanima hominum opinione. Nam μία φῆμις, ad quas voces particula μὲν logica vi trahenda est, si perhibetur, sequitur poetam etiam alterius fabulae memorem fuisse, eam dico, qua florem illum non ex Aiacis, sed Hyacinthi corpore saucio natum esse referret. Neque enim tertius homo de origine floris cum illis certat. Diversas igitur de hyacinthi origine fabulas versibus deinceps iunctas exposuisse poetam intellegimus, cuius rationis apud Nonnum, qui vel maxime cum ab Alexandrinorum doctissima poesi tum ab Euphorione permulta in suum contulit, duo M. insignia exempla attulit. Sed mihi cum Ovidio res est. Apud quem postquam Aiax corpore XIII 392.

— letalem condidit ensem,
Non valuere manus infixum educere telum.
Expulit ipse cruor, rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de caespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis, haec nominis, illa querellae.

Quae verba si quis acri accurataque interpretatione premit, inepta sunt. Terra progenuisse eum florem dicitur, qui iam antea e sanguine Oebalii iu-

venis vel Hyacinthi exstitisset? Haec suo ingenio scripsisse elegantissimum poetam censebimus? Minime, sed nondum res confecta est. Age mecum considera alteram quoque fabulam, qua hyacinthi originem e Spartani adulescentis sanguine repetivit. X 162 seqq.

En Apollo, qui invitam iuvenis mortem conquerens cum alia tum haec edit. : 204.

Semper eris mecum memorique haerebis in ore,
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt.
Flosque novus *scripto gemitus imitabere* nostros. (γεγραμμένα κωκύουσαν. Euph.)
Tempus et illud erit, quo se fortissimus heros
Addat in hunc florem folioque legatur eodem.

Iterum igitur artissimis verbis contrarias illas de origine hyacinthi fabulas deinceps commemorat.

Neque tamen ulla probabilis causa cogitari potest, cur bis contrariae rei mentionem inecerit: quaestio certissima ratione inde expeditur, quod Euphorionis carmen pro exemplari Ovidio fuit. Simul autem, ne hoc praetermittam, apparuit multo callidius Ovidium hoc loco quam priore difficultatem evitasse, quae in coniungendis prorsus inaequalibus argumentis obstabat. Melius per ora dei futuri temporis praesagi editum vaticinium illud fingit, e quo Aiax — is enim est fortissimus heros — in eundem hyacinthum additurus sese esset.

De morte Aiacis (Ovid. XIII 391) ex Euphorionis « Hyacintho » unus versus nobis traditur. Fragm. 38 M.

πλευρά τε καὶ θώρηκα διήρικεν ἰνίου ἄχρις.

Hyacinthi cognomini flore mutati Apollinem esse auctorem una est et consentiens scriptorum opinio. Qua de re non in eo offendendum est, quod apud

Ovidium (Fast V 221) Flora «mater florum» haec de se pronuntiat:

Prima per immensas sparsi nova semina gentes.
— — — — — — — — — — — —
Prima Therapneo feci de sanguine florem,
Et manet in folio scripta querella suo,

ubi poeta concessa licentia transformationis officium ab Apolline ad Floram transtulit.

4. Euphorio ut de hyacinthi primitiis, ita de aconito, quae duae narrationes ferebantur, in unum coactas habet. Schol. Apoll. Rh. II 354 (M. 28) haec ait: Ἡρόδωρός τε καὶ Εὐφορίων ἐν τῷ ξενίῳ ἐκείνῃ (apud Heracleam Ponticam) φασὶ τὸν Κέρβερον ἀνῆχθαι ὑπὸ τοῦ Ἡρακλέους καὶ ἐμέσαι χολήν, ἐξ ἧς φυῆναι τὸ καλούμενον ἀκόνιτον. Herbam eam e bile Cerberi ab Hercule ad lucem protracti genitam esse dicit. Altera vero ratio est verborum quae J. G. Schneider Nic. Alex. p. 32 ex Aelio Promoto citat: τὸ ἀκόνιτον φύεται μὲν ἐν ἀκόναις. λόφος δέ ἐστιν ἐν Ἡρακλείᾳ οὕτω καλούμενος, ὡς ἱστορεῖ Θεόπομπος καὶ Εὐφορίων δὲ ἐν ξενίῳ. Hinc herbam originem vocabulumque cepisse e nomine collium Ἀκόναι, in quibus cresceret, Euphorio testatur. Convertamus nos ad Ovidium qui l. VII v. 406 seqq. ita:

Huius (Thesei) in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.
1. Illud Echidneae memorant e dentibus ortum
Esse canis. Specus est tenebroso caecus hiatu
Et via declivis, *per quam Tirynthius heros*
Restantem contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos nexis adamante catenis
Cerberon *attraxit*, rabida qui concitus ira
Implevit pariter ternis latratibus auras
3. Et sparsit virides spumis albentibus agros.
Has concresse putant nactasque alimenta feracis
Fecundique soli vires cepisse nocendi.
2. Quae quia *nascuntur dura* vivacia *caute*
Agrestes *aconita vocant*.

In hac narratione tria insignia sunt. a. Origo herbae a spumis venenatis Cerberi natae. b. Origio aconiti, nomine e duris cautibus, h. e. e nomine collium Ἀκόναι ducto. c. Ratio coniungendi. Spumas istas passim per agros sparsas concrevisse dicit, scilicet ad cautes duras viresque nocendi nanctas. Quid? in his nonne Euphorionis ingenium deprehendimus, quod materiam illam Romano poetae sumministraverat? Callidumque artificium Ovidii conantis, quae Euphorio forsitan discerpta apposuisset, ea fortiore vinculo inter se constringere denuo perspeximus.

Iam vero Euphorio Cerberum ab Hercule ex inferis sursum eductum esse narravit, in qua re eum secutus est Ovidius. Atque huc summa cum probabilitate referendus est versus apud Miller. Et. M. pag. 46 s. v. ἄρρατος. Εὐφορίων.

ἀνέρος ἀρράτοι[ο] φόωσδ' ἀνὰ Κέρβερον ἄξων.

Is de quo praedicatur, nimirum Hercules est.

ἀνὴρ autem ἄρρατος quis est? De duobus tantum hoc loco cogitatio incidere potest. : aut enim est Eurystheus aut inferorum deus. At epitheton ἄρρατος nunquam de *hominibus* usurpatur: dici sane potest ἄρρατον ἔπος, λόγος vel tale quid ponunturque oppositionis formâ saepe ῥητά ἄρρητα et similia. Admisitque adeo Euripides (Helen. 1307) ἄρρητος κούρη *Proserpinam* significans. Restat igitur, ut de Plutone cogitemus. Quem nomine ἀνδρὸς appellasse Euphorionem equidem vix mihi persuaserim nullo exstante simili exemplo. Inde cum cetera versus verba sana sint, „ἀνέρος" mutandum equidem censeo in vocem „δαίμονος".

5. Harpalycen Euphorio ab ipso patre Clymeno Argivo compressam fratrisque minoris membra dissecta in epulis illi apposuisse, primus, ut videtur, rettulit fragm. 20. Aliquantum temporis postea eam fabulam

apud Ovidium iterum invenimus. Is enim in «Ibide», carmine singulari et remotissima doctrina referto, v. 547 ait:

> Ut puer Harpagides referas exempla Thyestae
> Inque tui caesus viscera patris eas.

Quo loco e corrupta codicum scriptura tertii [1] verbi interpretes paene omnes Harpagidae nomen adoptaverunt, quamquam iam scholiasten (i. e. optimi codicis G. apud Ellium). «Harpalycen» legisse ex ipso fere nomine Arpasige intellegi poterat. «*Arpasige* filium comedit quem ad modum Thiestes suum offerente ei Atreo suo fratre. Salvagnius autem e cod. Sanvictoriano genuinam scripturam «Harpalyces» elicuit et haec adnotavit (Ovid. Ibis. ed. Ellis Oxon. 1881. ad. h. l.): «apposite ad mentem Ovidii qui Thyestis et Clymeni fabulas contulit. Uterque nimirum filium in epulis consumpsit uterque filiam compressit. Et vero satius est fabulam, fabulae iungi quam historiam.» Unde miror, quod Merkel in ed. Ovid. opp. vol. III. 1884 retinuit nomen «Harpagides».

In hoc uno Ovidius ab Chalcidensi poeta differt, quod Harpalycen filium a nefando patre conceptum mactasse narrat (= Hygin. fab. 206), cum Euphorio minorem natu fratrem (Presbo dicitur a schol. Ven. ad. Il Ξ 291) ab Harpalyce patri appositum finxerit.

6. Schol. Ven. ad. Σ 486 (= M. 108) haec tradit: Ὑριεὺς ὁ Ποσειδῶνος καὶ Ἀλκυόνης, μιᾶς τῶν Ἄτλαντος θυγατέρων, ᾤκει μὲν ἐν Τανάγρᾳ τῆς Βοιωτίας, φιλοξενώτατος [1] δὲ γενόμενος ὑπεδέξατό ποτε καὶ θεούς. Ζεὺς γὰρ καὶ Ποσειδῶν καὶ Ἑρμῆς ἐπιξενωθέντες [2] αὐτῷ καὶ τὴν φιλοφροσύνην ἀποδεξάμενοι [3] παρῄνεσαν αἰτεῖν ὅτι ἂν βούλοιτο [4]. ὁ δὲ ἄτεκνος ὢν ᾐτήσατο παῖδα [5]. λαβόντες οὖν οἱ θεοὶ τὴν τοῦ ἱερουργηθέντος αὐτοῖς βοὸς

---

1 Arpacides, harpatides, arpasige, arpagige, arphagie.

βύρσαν ἀπεσπέρμηναν εἰς αὐτὴν[6] καὶ ἐκέλευσαν κρύψαι κατὰ γῆν[7] καὶ μετὰ δέκα μῆνας[8] ἀνελέσθαι. ὧν διελθόντων ἐγένετο ὁ Οὐρίων οὕτως ὀνομασθεὶς διὰ τὸ οὐρῆσαι,[9] ὥσπερ* τοὺς θεούς, ἔπειτα δὲ κατ' εὐφημισμὸν Ὠρίων.[10] συγκυνηγετῶν δὲ οὗτος Ἀρτέμιδι ἐπεχείρησεν αὐτὴν βιάσασθαι · ὀργισθεῖσα δὲ ἡ θεὸς ἀνέδωκεν ἐκ γῆς σκορπίον, ὃς αὐτὸν πλήξας κατὰ τὸν ἀστράγαλον ἀπέκτεινε. Ζεὺς δὲ συμπαθήσας κατηστέρισεν αὐτόν . διὸ τοῦ σκορπίου ἀνατέλλοντος Ὠρίων δύνει . ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.
Spurcissima est de origine Orionis narratio, quam primum Euphorionem[a] litteris mandasse veri simillimum est, nisi rectius duas partes hanc historiolam habere iam nunc notandum erit, alteram de natalibus, alteram de morte Orionis; e quibus gravissima quaeque prioris partis numerorum signis notavi, ut aptius Ovidianam fabulam cum hac conferamus. Fast. l. V, 495 seqq.

Juppiter et lato qui regnat in aequore frater
2. Carpebant socias Mercuriusque vias
Tempus erat, quo versa iugo referuntur aratra,
Et pronus saturae lac bibit agnus ovis.
Forte senex Hyrieus, angusti cultor agelli,
Hos videt, exiguam stabat ut ante casam.
Atque ita « longa via est nec tempora longa supersunt.»
1. Dixit, « et hospitibus ianua nostra patet.»
Addidit et voltum verbis iterumque rogavit.
Parent promissis dissimulantque deos.
Tecta senis subeunt nigro deformia fumo;
Ignis in hesterno stipite parvus erat.
3. Ipse genu nixus flammas exsuscitat aura,
Et promit quassas comminuitque faces.
Stant calices; minor inde fabas, holus alter habebat,
Et spumant testu pressus uterque suo.
Dumque mora est, tremula dat vina rubentia dextra.
Accipit aequoreus pocula prima deus.
Quae simul exhausit, « da nunc bibat ordine », dixit,
« Jupiter »: audito palluit ille Jove.

---

[a] Quatenus Pindarus obscoenam originem cognoverit, dubium est. Strabo pag. 404 : Ὑρία, ὅπου ὁ Ὑριεὺς μεμύθευται καὶ ἡ τοῦ Ὠρίωνος γένεσις, ἥν φησι Πίνδαρος ἐν τοῖς διθυράμβοις.

Ut rediit animus, cultorem pauperis agri
Immolat et magno torret in igne bovem.
Quaeque puer quondam primis diffuderat annis,
Promit fumoso condita vina cado.
Nec mora, flumineam lino celantibus ulvam,
Sic quoque non altis incubuere toris.
Nunc dape, nunc posito mensae nituere Lyaeo;
Terra rubens crater, pocula fagus erant.
4. Verba fuere Jovis: «Siquid fert impetus, opta:
Omne feres.» placidi verba fuere senis:
5. «Cara fuit coniunx, primae mihi cura iuventae
Cognita; nunc ubi sit, quaeritis? urna tegit.
Huic ego iuratus vobis in verba vocatis
««Coniugio,»» dixi, ««sola fruere meo.»»
Et dixi et servo. sed enim diversa voluntas
Est mihi; nec coniunx, sed pater esse volo.»
6. Annuerant omnes; omnes ad terga iuvenci
Constiterant — pudor est ulteriora loqui.
7. Tum superinecta texere madentia terra:
8. Jamque decem menses et puer ortus erat.
9. Hunc Hyrieus, quia sic genitus, vocat Uriona.
10. Perdidit antiquum littera prima sonum. —

Hic paulum qui legent subsistere velim. Jam pergitur:

Creverat immensum; comitem sibi Delia sumpsit,
Ille deae custos, ille satelles erat.
Verba movent iram non circumspecta deorum:
«Quam nequeam,» dixit, «vincere, nulla fera est.»
Scorpion immisit Tellus. Fuit impetus illi
Curva gemelliparae spicula ferre deae.
Obstitit Orion. Latona nitentibus astris
Addidit et «meriti praemia», dixit, «habe.»

Euphorionis verba si cum Ovidiana narratione comparamus, maxima cernitur consensio, adeo ut, si forte ignoraremus pedestrem illam historiam ex Euphorione desumptam esse, eâ poetica Ovidii verba accuratissime reddita esse iudicaremus. Tres uterque deos tecta hospitalissimi hominis subiisse refert. Quam laudat ex Euphorione scholiasta φιλοφροσύνην, quam festive Ovidius expressit! Jam de optato senis eadem narrantur; quod qua ratione dei ratum fecerint, nisi quod Romano

poetae decentius visum est ultima silentio praeterire. De puero decem post menses ita nato et de nomine eius temporis decursu paululum mutato eadem uterque tradit. Omnia denique quasi cognatione continuata inter se conspirant, ut necessario Ovidius carmen aliquod Euphorionis exscripsisse iudicandus sit. Jam vero alteram partem utriusque fabulae hactenus neglectam diligenter inspiciamus. In qua re cum nihil ad intellegendum difficile in graeca enarratione existat, Ovidii verba non ab una parte laborant. Ac primum quantopere distat apud eum altera pars ab altera! Ovidius, qui quadraginta versibus rem vividissimis coloribus depinxit et ne minima quidem in historia excolenda atque expolienda omisit-quanta autem diligentia leviora quaedam elaboraverit, cerni potest vel maxime v. 497/98, 501/3, 525/29; quam longus ille est in repraesentanda viri sedulitate — Ovidius dico, brevissime et quasi industriam antea adhibitam respueret, rem ad finem perduxit, ut verba eius dilucido sensu careant. Orio igitur a Diana in venandi societatem assumptus cum arroganti voce iactata deos lacessivisset, scorpione immisso peremptus est. Haec est vulgaris opinio et qua ab Ovidio quoque rem fictam exspectaremus. At scorpius e terra (an a Tellure?) ad supplicium Orionis missus adeo non officium suum exsequitur, ut spicula curva Latonae, deae gemelliparae, ut Ovidius ait, inicere paret. Hoc cur facit? Ovidius non explicat neque ullum alium auctorem novi, qui ante eum hoc narraverit. Latona porro utrum particeps venationis an casu quodam praesens est, ut Eratosthenes finxit παρούσης καὶ τῆς Λητοῦς? [1] Ne hoc quidem

[1] Delum esse locum, ubi rem factam poeta fingit, non est cur expressis verbis moneam. At vide pag. 40.

Ovidius expedit. Periculum a scorpione imminens Orio a Latone repellit, «obstitit Orion», nimirum infesto bestiae conatui, «inque pio», ut cum Ovidio loquar, «cadit officio». Hoc, quod dicere ipsa rei necessitas cogeret, silentio profundo ille detexit nec nisi verbis extremis de interitu eius obiter nos docuit.

Duae illae partes Ovidianae fabulae disiunctione vel maxima in enarrandi ratione hiant. Quorum posteriorem non ex Euphorione deprompsit. Nam hoc si fecisset, non solum eadem atque Euphorio reddidisset verbo tenus in priore parte eum secutus, sed etiam e more suo rem, ne dicam longioribus verbis, at certe clarioribus exornasset. Euphorio autem quae de morte narrasse videtur, multum distant ab Ovidiana fabula. Et hic quidem singula persequi non opus esse reor.

Jam vero Schwarz[1] docuit, in codicibus schol. Ven. ad. Hom. libros compositorum passim fabulas subscriptionibus in fine adiectis velut ἡ δὲ ἱστορία κεῖται παρὰ τῷ δεῖνα vel simili modo certis auctoribus attribui, e quorum operibus tantum priora scholiastae verba decerpta essent. Nam saepe qui scholia conficiebant, si fabulam e quocumque exemplari in suum librum transferebant, suopte ingenio nonnulla admiscebant, quae cum re proposita aliqua saltem ratione cohaerentia hic illicve legisse sese meminissent quaeque non ad eundem auctorem pertinerent. In fine autem historiae nomen eius scriptoris appingebant, e quo *priorem* partem fabulae petiverant, quid erroris committerent, prorsus securi. Hac Schwarzii observatione nixi tandem quaestionem disceptabimus atque ita fere statuemus:

---

1 Diss. inaug. quae inscribitur: De scholiis in Homeri Iliadem mythologicis capite tria, Vratislaviae 1878.

1. Ovidius quae de natalibus Orionis habet, ex Euphorione expressit.

2. Pars ea fabulae graecae quae a verbis συγκυνηγετῶν incipit, Euphorioni abiudicanda est.[1] Ergo

3. ad alium fontem ea, quae Ovidius de morte catasterismoque Orionis habet, ferenda sunt.

Misso igitur Euphorione circumspiciamus, e quonam narratio Ovidii tam concisa, tam etiam obscura hausta videatur.

In epitome Eratosth. Catast. ed. Rob. XXXII haec de Orione ex Hesiodo ducta nobis occurrunt. Postquam eum cum Diana in *Creta* insula praesente etiam Latona venatum esse narratum est, sic pergitur : καὶ δοκεῖ ἀπειλήσασθα. ὡς πᾶν θηρίον ἀνελεῖν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς γενομένων. θυμωθεῖσα δὲ αὐτῷ ἡ γῆ (an ἡ Γῆ ?) ἀνῆκε σκορπίον εὐμεγέθη, ὑφ' οὗ τῷ κέντρῳ πληγεὶς ἀπώλετο. ὅθεν διὰ τὴν αὐτοῦ ἀνδρίαν ἐν τοῖς ἄστροις αὐτὸν ἔθηκεν ὁ Ζεύς, ὑπὸ Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς ἀξιωθεὶς · ὁμοίως καὶ τὸ θηρίον τοῦ εἶναι μνημόσυνον τῆς πράξεως.

Quae inter se consentiunt haec sunt: 1) quod Orio cum Diana et Latona venatur. 2) quod temere gloriatus est se quamlibet in terra feram sagitta figere posse. 3) quod Tellus vanitatem verborum indignissime ferens scorpionem inmisit. 4) quod *Latonae*

[1] Ita e verbis quae Meineke fragm. 152 expressit: « ut Euphorion dicit, *post adventum Graecorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus est, quia sacrificiis eorum non vetavit adventum.* postea abscedentibus Graecis, quum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon Thymbraei Apollinis sacerdos sorte ductus est, ut fieri solet, quum deest sacerdos certus. hic piaculum commiserat ante simulacrum numinis cum Antiope uxore sua coeundo et ob hoc immissis draconibus cum suis filiis interemptus est,» ad Euphorionem primam tantum enuntiationem pertinere ingeniose Robert philol. Unters. V 205 evicit.

quoque praecipuo impulsu — de Diana nihil quidem Ovidius — inter sidera caeli receptus est. Unum illud forsitan quis desideraverit. Narravitne Hesiodus aut is qui historiam ex eo exscripsit Orionem periculum Latonae imminens propulisse? Verba enim διὰ τὴν αὐτοῦ ἀνδρίαν ad hoc ipsum an ad virtutem fortitudinemque vasti hominis in universum spectare censebimus?

Haec omnia quae de consensu inter Chalcidensem et Romanum poetas disserui perpendentibus nobis necessario concedendum est, non modo Ovidium lectitasse carmina Euphorionis, sed etiam exemplaribus illis usum permulta in suos libros transtulisse. Atque haud scio an non ultimus ordo inter eos auctores Alexandrinos, quorum doctrina Ovidii opera abundent, Euphorioni assignandus sit. Nicandri opus aequali nomine μεταμορφώσεων notatum ad Ovidii poesim maximan vim habuisse nemo negat: de Nicandro ecquae Euphorioni debeat, tertio disputationis capitulo quaeremus, cum antea pauca, quae e re esse confidam, excursus loco explanaverimus.

EXCURSUS I.

Licet ea de morte Orionis historia, quae exstet in fine fragm. 108 Euphorionis esse non possit, de morte eum tamen narravisse alio fragmento (109) docemur.

τούτου (Ὠρίωνος) ἐρασθεῖσα ἡ Ἡμέρα ἥρπασεν ἀπὸ Τανάγρας εἰς Δῆλον, ἔνθα τὴν ἀμαλλοφόρον Οὖπιν ἰδὼν ἤθελε βιάσασθαι. ἐφ᾽ ᾧ ὀργισθεῖσα ἡ θεὸς ἀναιρεῖ αὐτὸν, ὡς Εὐφορίων δηλοῖ. Cum his verbis iunctim consideranda sunt Apollodorea (I, 4 3. e Pherecyde desumpta). Ὠρίωνα δὲ Ἄρτεμις ἀπέκτεινεν ἐν Δήλῳ — aliisque interiectis Ὠρίωνος δὲ Ἠὼς ἐρασθεῖσα ἥρπασε καὶ ἐκόμισεν εἰς Δῆλον· ἐποίει γὰρ αὐτὴν Ἀφροδίτη συνεχῶς ἐρᾶν, ὅτι Ἄρει συνευνάσθη· ὁ δὲ Ὠρίων,

ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, ἀνῃρέθη δισκεύειν Ἄρτεμιν προκαλούμενος, ὡς δέ τινες (Euphorio!) βιαζόμενος Ὦπιν μίαν τῶν ἐξ Ὑπερβορέων παραγενομένων παρθένων ὑπ' Ἀρτέμιδος ἐτοξεύθη. Auctoribus Herodoto IV. 33 et Callimacho (hym. IV 278-300). Hyperboreae virgines Opis et Arge aut Opis et Loxo et Hecaerge primae Delum spicarum primitias[1], quod donum postea quotannis exsolvebatur, tulisse dicuntur. Atque etiam comitantibus Apolline et Diana Opin et Argen ad eam insulam pervenisse sollemnique a Delphicis feminis religione cultas esse tradunt.

Sociam amicamque Dianae Opin, quia Orio violare temptavit, a dea interfectus est.

Opis vero cum nihil aliud sit nisi ipsa Diana decursu demum temporis a mythographis tamquam nova atque integra persona inducta, id quod unius Alexandri Aetolo testimonio corroborare sufficit (apud M. pag. 225). ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν οἰστῶν,

Dianae quoque atque id vulgari fere ac notissima opinione incontinentes manus iniecisse Orio fertur. Pro qua audacia dea eum sive sagittis perfixit sive scorpionem inmisit. Call. hym. III, 264.

μηδέ τινα μνᾶσθαι τὴν παρθένον — οὐδὲ γὰρ Ὦτος,
οὐδὲ μὲν Ὠαρίων ἀγαθὸν γάμον ἐμνήστευσαν.

Adde eum qui Euphorionis Callimachique scrinia multifariam compilavit, Nonnum II, 306: Ἄρτεμις Ὠρίωνος ἀναγκαίη δάμαρ ἔστω. Cfr. 44, 303.

---

[1] Callim. v. 281. καὶ οἳ καθύπερθε βορείης
οἰκία θινὸς ἔχουσι, πολυχρονιώτατον αἷμα,
οἳ μέν τοι καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτοι
ἀσταχύων φορέουσιν.
Unde Opin Euphorio appelat ἀμαλλοφόρον.

EXCURSUS 2.

Ovidianam de hospitio senis Hyriei narrationem qui legit, nonne alterius fabulae prorsus ad exemplar illius effictae in mentem venit? Philemo et Baucis, de his enim iam agendum est Metam. VIII, 626-725, 1. ambo iam natu grandiores

> Illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa
> Consenuere casa; v. 632.

— et „tremens" anus v. 660 —

Jovem et Mercurium humanis corporibus abditos,

> Juppiter huc specie mortali cumque parente
> Venit Atlantiades positis caducifer alis

tugurio humili recipiunt:

> tamen una recepit, (domus)
> Parva quidem stipulis et canna tecta palustri.

Ab altera parte est Hyrieus item senex,

> «angusti cultor agelli,» qui
> *exiguam* stabat ut ante casam,

tres illos deos Jovem Neptunum Mercurium humana facie indutos — dissimulantque deos — ut tecta sua subirent, invitat.

2. Jam cum casam intrassent, intenti ad opus faciendum sese accingunt Baucisque

> — foco tepidum cinerem dimovit et ignes
> Suscitat hesternos foliisque et cortice sicco
> Nutrit et ad flammas anima producit anili.
> Multifidasque faces ramaliaque arida tecto
> Detulit et minuit.

Holus deinde coquit,

> Quodque suus coniux riguo collegerat horto,
> Truncat holus foliis. —

Nec vero vinum desideratur:

> *Parva mora est* epulasque foci misere calentes,
> Nec longae rursus referuntur vina senectae.

Et quo commodius dei accumberent,

> Concutiunt — torum de molli fluminis ulva
> Impositum lecto.

Superiniciuntque vestes viles aetateque contritas.

Vestibus hunc velant —
sed et haec vilisque vetusque
Vestis erat.

Age vasa omnia, quibus utebantur, ex argilla conposita:

omnia fictilibus,
— nisi quod
Sistitur argento crater fabricataque fago
Pocula.

Ita rursus postquam Hyriei casam superi intraverunt, senex, quia

Ignis in hesterno stipite parvus erat, operose
Ipse genu nixus flammas exsucitat aura
Et promit quassas comminuitque faces.

Apponuntur holus, fabae, vina:

Stant calices; minor inde fabas, holus alter habebat.
— — — — — — — — — — — — —
Dumque mora est, tremula dat vina rubentia dextra.

Et modo

— flumineam lino celantibus ulvam,
Sic quoque non altis incubuere toris.

Crater autem est „terra rubens“; pocula fagus erant.

3. Iam superi cum numen suum indicassent, illi «attoniti novitate pavent» unicumque anserem, minimae custodiam villae, dis hospitibus mactare paraverunt. Quod quidem fieri di prohibuerunt. Atque postea Juppiter, num quid sibi cuperent, eos rogavit communisque voti eos compotes fecit. Similiter Hyrieus forte audito nomine Jovis expalluit et «cultorem pauperis agri», bovem insuper immolat. Quod propter beneficium Juppiter, siquid ferret impetus optare eum iussit exoptatumque filium ut adipisceretur, una cum ceteris facinus istud molitur.

Maxima igitur inter utramque fabulam cernitur similitudo, adeo ut alteram ex altera fere repetitam esse

dixeris hoc uno discrimine, quod Philemonis Baucidisque hospitium multo copiosius descripserit Ovidius leviores-que partes multo magis exornaverit quam altero loco fecit. Nec tamen in exornanda hac narratione omnia de suo composuit: immo imitatum esse Callimachi nobilissimum carmen Ἑκάλης quo etiam Theseum receptum ab Hecale descripsit, e fragmentis quamvis exiguis lacerisque certissime demonstrari potest.[1] Theseus enim ad Marathonium taurum perdomandum profectus domum mulieris annis iam confectae intrat. Est sane parva — ἐλαχὸν δόμον Callimachus vocat fragm. 349. et quae habitat ἐν χερὶ χαῖον ἔχουσα.

γέντο δ' ἐρείκης
σκηπάνιον γυίοισιν, ὃ δὴ πέλε γήραος ὀκχή.

Quae Theseum cum proprius accessisset,

τὸν μὲν ἐπ ἀσκάντα κάθισεν.

Vel, ut Ovidii verba in simili re versantis citem,

membra senex posito iussit relevare sedili.

Deinde ut cibum hospiti apponeret, primum παλαίθετα κᾶλα καθήρει et δανὰ ξύλα τυτθὰ κέασσαι festinat. quod Ovidius ita expressit:

Multifidasque faces ramaliaque arida tecta
Detulit et minuit.

Inter cibos autem est etiam frustrum pernae suillae. quae in summo tecto pependerat. Nam δίκροον ἤρυγε — φίτρον ἀειραμένη, quibuscum verbo tenus fere consentiunt Ovidiana:

Furca levat ille bicorni
Sordida terga suis nigro pendentia tigno.

Sed haec hactenus neque enim ad leviora descendere, cum tam pauca supersint, operae erit pretium.

---

[1] Cfr. O. Schneideri Callimachea, II pag. 179, seqq.

III.

Nicander quid Euphorioni debeat.

1. Μολόθουρος vocabulum herbae apud primum Euphorionem legitur, e quo Nicander recepit. Alex. 147 πόη γε μὲν ὕψι τέθηλεν, οἵη περ μολόθουρος, ad quae verba schol. adnotat ἡ μολόθουρος βοτάνη ἐστίν, ἀειθαλὴς δέ, διὸ καὶ Εὐφορίων φησί: πτῶκες ἀειχλώροισιν ἰαύεσκον μολοθούροις = M. 64.

2. Dionysus ut est apud Euphorionem ταυροκέρως fragm. 14 ita apud Nicandrum κεραός. Al. 31, atque id in ea carminis parte, ubi de aconito (cfr. n. 8) agitur neque ulla probabilis causa subesse videtur, cur hoc loco κεραός potissimum appelletur.

3. Corvos tempestatem pluviosam nuntiare tradunt. Ut Aratus in Phaen. v. 963.

δήποτε καὶ γενεαὶ κοράκων καὶ φῦλα κολοιῶν
ὕδατος ἐρχομένοιο Διὸς περὶ σῆμ' ἐγένοντο.

Et Euphorio: ὑετόμαντις ὅτε κ ρ ώ ξ ε ι ε κορώνη. fragm. 65. Aeque ac Nicander Ther. 406

κόραξ ὀμβρήρεα κ ρ ώ ζ ω ν.

4. Euphorio Minervam κεβλήγονον Ἀτρυτώνην nuncupat (M. 159) ut capite Jovis creatam. Unde Nicander papaverem κεβληγόνον vocat, h. e. sensu activo, ut qui semina capite creat vel semen in capite habet. Alex. 433.

καί τε σὺ μήκωνος κεβληγόνου ὁππότε δάκρυ
πίνωσιν, πεπύθοιο καθυπνέας. Ceterum utramque poetam vocem κεβληγόνου in quarta versus sede collocavisse animadverte.

5. 'Ατάρμυκτος' vocem ex Euphorione (fragm. 103) Nicander transtulit Alex. 161. ἀταρμύκτῳ φρενὸς οἴστρῳ.

6. Pars μεταμορφώσεων operis Nicandrei «Ὑάκινθος» speciali titulo citatur. O. Schreider pag. 45. Ita Euphorionis carmen eodem titulo munitum exstat, quod haud scio an maioris cuiusdam libri particula fuerit. Summam argumenti eandem fuisse non est, cur explicem.

7. De morte catasterismoque Orionis plura exposuisse Euphorionem supra commemoravi. Huc referre licet versum, qui in schol. ad Nic. Ther. legitur (22): κυνηλατέοντος ἀντὶ τοῦ κυνηγετοῦντος, ὡς Εὐφορίων: αὐτῷ σὺν τελαμῶνι νεοτμήτῳ (63 M.) Ipos autem versus, ad quos explicandos scholiasta haec adiecit, hos habes:

τοῦ δὲ τέρας περίσημον ὑπ' ἀστέρας ἀπλανὲς αὔτως,
οἷα κυνηλατέοντος ἀείδελον ἐστήρικται,

Verbum illud κυνηλατέων, quod in versu Euphorioneo fuisse scholiasta indicat, quoniam in codicibus deest, Meinekio ita versum refingere visum est:

αὐτῷ σὺν τελαμῶνι κυνηλατέων νεοτμήτῳ. Sed cum versus iste metricis Euphorionis legibus non sufficiat, verba ab illo per duos versus disposita potius crediderim, quae scholiasta in brevius contraxit.

Alteram autem scripturam codicum: αὐτῷ σὺν τελαμῶνι νεοτμήτῳ τε μαχαίρῃ infelix librarii esse additamentum patet.

Verbum igitur κυνηλατεῖν cum Nicander in eadem morte Orionis describenda ex Euphorione transtulerit, suspicari licet eum illius de Orionis poenae narrationem ante oculos habuisse. Ther. 12.

Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπέχρα
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.
αὐτὰρ ὅ γε στιβαροῖο κατὰ σφυρὸν ἤλασεν ἴχνευς
σκορπίος ἀπροϊδὴς ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶι λοχήσας.

τοῦ δὲ τέρας περίσημον ὑπ' ἀστέρας ἀπλανὲς αὔτως
οἷα κυνηλάτεοντες ἀείδελον ἐστήρικται.

Ultimis versibus Nicander clarissimum sideris splendorem exprimit: περίσημον est et ἀείδελον. Hinc ad interpretationem Euphorionei versus accedamus; qui si diserte balteum ingentis venatoris memorat, item stellae fulgorem nobis repraesentat. Scilicet ea arma quae, cum viveret ille, in venatione gerebat, gladium imprimis balteumque, in caelo quoque fert effulgetque lucidissimo nitore et ensis et balteus. Nonnus III 2

ἄκρα δὲ φαίνων
ἀννεφέλῳ τελαμῶνι φαεσφόρα νῶτα μαχαίρης
Ὠρίων ἀνέτελλε. Quibuscum conf. I 233.

8. Quomodo Euphorio de aconiti origine duas fabulas tradiderit, pluribus antea verbis disserui: gigni id spumis Cerberi et in collibus Ἀκόναι. In hac re Nicandrum imitatorem Chalcidensis poetae deprehendimus. Ille enim Al. v. 11-42

Ἀλλ' ἤτοι χολόεν μὲν ἰδὲ στομίοισι δυσαλθὲς
πυθείης ἀκόνιτον, ὃ δή ῥ' Ἀχερωΐδες ὄχθαι
φύουσιν. τόθι χάσμα δυσέκδρομον Εὐβουλῆος
ἄστυρά τε Πριόλαο καταστρεφθέντα δέδουπε.

Tum postquam vim perniciosam herbae uberius descripsit, v. 41 pergit:

ἐν δ' Ἀκοναίοις
δηλήειν ἀκόνιτον ἐνεβλάστησεν ὀρόγκοις.

Haec ultima per se intelleguntur; de priore parte accuratius dicendum est. (cfr. schol. ad. h. l.).

Circa Heracleam Ponticam — in hac regione est flumen illud Ἀχέρων — ubi per hiatum terrae difficilis ad inferos descensus est, ubi oppida Priolai quondam prostrata humi iacebant (scilicet ab Hercule Apoll. Rh. II 776-783), aconitum gigni ait. Sed cur voraginem terrae, cur rem quondam ab Hercule ges-

tam hoc loco Nicander commemorat? Nempe quia Euphorio de declivi et periculoso ad inferos introitu dixerat, quia hac ipsa via Herculem ad lucem protraxisse Stygiam canem narraverat. Modo verborum Ovidii reminiscaris: VII 409

> Specus est tenebroso caecus hiatu.
> Et via declivis per quem Tirynthius heros
> Restantem contraque diem radiosque micantes
> Obliquantem oculos nexis adamante catenis
> Cerberon attraxit; rabida qui concitus ira
> — sparsit virides spumis albentibus agros.

Iam si hiatum illum terrae Herculisque nomen expressis verbis commemorat, si post viginti fere versus alteram originem herbae affert, nonne vérisimillimum est Euphorionis carmen ξένιον imitatione eum expressisse aut saltem ante oculos habuisse.? Sed solita apud Alexandrinos poetas loquendi obscuritate rem non totam persecutus est, cum alia describeret, alia modo extremis quasi lineis adumbraret. Ita etiam omisit dicere ex illo hiatu soli attractum canem sparsisse spumas venenatas, e quibus originem herbam sumpsisse. Inde quoque diversas eas fabulas Nicandrum cognovisse perspicitur, quod, postquam ubi gigneretur herba, annotavit, iam vim naturamque perniciosam eius copiosius persecutus *iterum originem* aconiti attigit.

IV.

Euphorionem diversas fabulas in unum conflavisse.

Euphorio ut ad obscuras reconditasque fabulas investigandas multum studii contulit, ita in tractandis illis quae diversae de quibusdam rebus circumferebantur narrationes, aliqua ratione inter se conectere ei saepius placuit. Sed etiam vulgarioribus fabulis ea interdum admiscuit, quae nihil ad eas pertinerent aut singulari audacia haec vel illa commutavit. Ita historiam de Iphigenia eum e duabus fabulis conflavisse Wilamowitz ostendit (Herm. in vol. 18, 259. — cfr. pag. 15); ita originem hyacinthi et aconiti duplici ratione ab eo narratam vidimus. (pag. 31-34) Porro quomodo oracula duo quondam Priamo edita inter se confuderit, exposui pag. 17 seq. Quintum huius moris exemplum hic habes: (fragm. 148 M.). Schol. enim Apoll. Rh. II 459 haec ait: τὸν δὲ Πέλοπα Παφλαγόνα τὸ γένος εἶπεν · ἄλλοι δὲ Λυδὸν αὐτὸν ἱστοροῦσιν ,ὁ δὲ Εὐφορίων ἀμφοτέραις ταῖς δόξαις συντίθεται. Apertis verbis scholiasta Euphorionem dissentientes de genere Pelopis opiniones ad unam quasi conglutinasse testatur. Quod qui fecerit, nescimus. Neque vero Meinekio astipulor putanti in altero opere Pelopem ab Euphorione Lydum, in altero Paphlagonem dictitatum esse. Immo propter disertum scholiastae testimonium et similitudinem aliorum locorum a sententia viri doctissimi discedere cogimur.

De celeberrimo Apollinis Grynei nemore Euphorio cum alia tradiderit, tum certamen illud inter Calchantem et Mopsum inde transtulit aliis auctoribus alium

locum memorantibus. Sed quia non solum de loco, sed etiam de modo certaminis ac de morte Calchantis inter auctores dissensio est, altius res repetenda est, ut Euphorio unde pendeat, clarius appareat.

a) Secundum Hesiodum apud Colophonem in nemore Clarii Apollinis auguralis illa contentio fuit, cum haec Calchas e Mopso quaereret: (Strabo XIV 642 = Hes. fragm. 117 [108])

θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμὸν, ἐρινεὸς οὗτος, ὀλύνθους
οὓς ὅδ' ἔχει, μικρός περ ἐών, εἴποις ἂν ἀριθμόν;

Ad quod Mopsus respondit:

«μύριοί εἰσιν ἀριθμὸν, ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος,
εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπενθέμεν οὔ κε δύναιο.» —
ὥς φατο· καί σφιν ἀριθμὸς ἐτήτυμος εἴδετο μέτρου.
καὶ τότε δὴ Κάλχανϑ' ὕπνος θανάτοιο κάλυψεν.

Mortuum igitur animadverte Calchantem dolore afflictum, quod potiorem se in arte sua vatem nactus esset.

b) Cum Hesiodo Pherecydes consentit, nisi quod aliam quaestionem excogitavit: φησὶν ὗν προβαλεῖν ἔγκυον τὸν Κάλχαντα, πόσους ἔχοι χοίρους, τὸν δ' εἰπεῖν, ὅτι τρεῖς, ὧν ἕνα θῆλυν. ἀληθεύσαντος δὲ ἀποθανεῖν ὑπὸ λύπης.

c) Age Sophocles in fabula ea, quae inscribitur Ἑλένης ἀπαίτησις ut certamen in Ciliciam transtulit, ita oraculum (λόγιόν τι) commentus est, ὡς εἱμαρμένον εἴη ἀποθανεῖν (Calchantem sc.), ὅταν κρείττονι ἑαυτοῦ μάντει περιτύχῃ.

d) Iam vero Lycophro ut Hesiodus Colophonem nominat, e Sophocle oraculum illud mutuatur, alteram quaestionum quas Hesiodus et Pherecydes a Calchante Mopso propositas effinxerant, ad Mopsum remittit, ita ut *alterna* interrogatione invicem periclitentur, quid divinandi arte valeant. Ac prior quidem Calchas collegam de numero fici pomorum quaesivit.

Vero autem responso dato Mopsus rursus Calchantem rogavit, quot catulos gravida sus in ventre haberet: ad quod cum nihil respondere posset, memor simul oraculi vetusti diem obiit. Is enim sensus subest verbis Lycophronis v. 424

Τρισσοὺς δὲ ταρχύσουσι Κερκάφου νάπαι,
Ἄλεντος οὐκ ἄπωθε καύηκας ποτῶν,
τὸν μὲν (Calchantem) Μολοσσοῦ Κυπέως Κοίτου κύκνον,
συὸς παραπλαγχθέντα θηλείας τόκων,
ὅτ' εἰς ὀλύνθων δῆριν ἑλκύσας σοφὴν
τὸν ἀνθάμιλλον, αὐτὸς ἐκ μαντευμάτων
σφαλεὶς ἰαύσει τὸν μεμορμένον πότμον.

e) Euphorio denique hoc modo rem — in quinto e sententia Meinekii Chiliadum libro — explicavit. fragm. 46 in fine. In quo luco (h. e. in nemore Apollinis *Grynei*) aliquando Calchas et Mopsus dicuntur de peritia vaticinandi inter se certamen habuisse et cum de pomorum arboris cuiusdam contenderent numero, stetit gloria Mopso: prae cuius rei dolore Calchas interiit.

Jam vero novo exemplo audaciam Euphorionis in interpolandis fabulis cognoscimus. Schol. Ven. ad Il. 14, 295 = M. 134 haec ex eo attulit: Ἥραν τρεφομένην παρὰ τοῖς γονεῦσιν εἷς τῶν Γιγάντων Εὐρυμέδων βιασάμενος ἔγκυον ἐποίησεν. ἡ δὲ Προμηθέα ἐγέννησεν. Ζεὺς δὲ ὕστερον γήμας τὴν ἀδελφὴν καὶ γνοὺς τὰ γιγνόμενα, τὸν μὲν Εὐρυμέδοντα κατεταρτάρωσε· τὸν δὲ Προμηθέα προφάσει τοῦ πυρὸς δεσμοῖς ἀνήρτησεν· ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι. Gigas ille Eurymedon probabiliter is fuisse videtur, quem regem fuisse Gigantum Homerus testatur. η 58:

μεγαλήτορος Εὐρυμέδοντος,
ὅς ποθ' ὑπερθύμοισι Γιγάντεσσιν βασίλευεν.
ἀλλ' ὁ μὲν ὤλεσε λαὸν ἀτάσθαλον· ὤλετο δ' αὐτός.

Confer, si tanti est, etiam Pind. carm. Pyth. 8, 16. Sed Iunonem ab Eurymedonte vi compressam Prometheum partu enixam esse ante Euphorionem nemo alius narravit. Supersedeo hoc loco ceteras fabulas subicere, in quarum memoriam ante Euphorionis aetatem nemo incidisse videatur quasque pro magna quidem parte licentiae Euphorionis vindices; has quicunque librum Meinekii accuratius inspiciet, nullo negotio colliget.

V.

Euphorionis carmina a Gallo lingua Latina expressa.

Felici casu evenit, quod exstitit poeta Romanus, Gallum dico, Foroiuliensem, qui ab Augusto Aegypti praefecturam acceperat, qui non solum artem et colorem Euphorionis in elegiis suis in Lycoridem scriptis callida imitatione expressit, sed etiam carmina eius in linguam Latinam transtulit. Quod quidem disertis verbis Donatus in vita Verg. pag. 332 et Probus ad Verg. Ecl. 50 nobis confirmant. Fuisse autem Euphorionem in magno apud Romanos grammaticos poetasque honore vel inde patet, quod Cicero eos poetas, qui a pristina simplicitate ad genus illud doctissimae poeseos ab Alexandrinis excultae animos convertebant, indignabundus ut « cantores Euphorionis » castigat. (Tuscul. disp. III 19). Neque Diomedes (III 482 [3]) inter eos poetas, quos Propertius Tibullus Gallus imitati sunt, Euphorionem referre dubitat. At de Galli carminibus nihil omnino ad nostram aetatem pervenit: de quibus si quid doceri cupimus, recedendum

est ad Propertium ac Vergilium, quibuscum ei intimam familiaritatem intercessisse satis constat. Nam illi, qui more maxime vulgari carmina amico dedicaverunt, aliquotiens ad argumenta ab illo tractata vel potius ab illo translata e carminibus Euphorionis obiter alludunt. Ita insignis est imprimis locus is, qui exstat in fine elegiae 34 libri II apud Propertium:

> Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
> Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Scilicet sensu tralaticio haec accipienda sunt: Lycoridem insano ille amore deperiit multaque a dura et fastidiosa puella amoris quasi vulnera passus est, donec morte matura una cum illis vitae quoque finem ipse imponeret. Cum his verbis compara Euphorioneum versum. Westermann myth. gr. 183 = M. fragm. 37. Κώκυτός [τοι] μοῦνος ἀφ' ἕλκεα νίψεν Ἄδωνιν, quem qui citat Ptolomaeus Heph. perverse ita interpretatur: Κώκυτος ὄνομα, Χείρωνος ἐπὶ τῇ ἰατρικῇ μαθητὴς ἐθεράπευσε τὸν Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς τρωθέντα. Quem profert Ptolemaeus, homo haud incorruptae fidei, Cocytum, Chironis discipulum, nemo novit: Immo Cocytus est flumen illud inferorum, est inferna, ut vertit Gallus, aqua. Gallus eadem verba quae Euphorio de saucio Adonide usurpavit, manifesta imitatione nescioquo loco de se infelici amore afflicto ipse adhibuit, qui locus Propertio, cum illam elegiam conficeret, obversatus est.

Iam Vergilius (Ecl. X 50) cum Gallum dicentem facit:

> Ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita versu,
> Carmina pastoris Siculi modulabor arena.

ad carmina Chalcidensis poetae intendit ea, quorum argumentum e genere amatorio erat. Neque enim alia syringe pastorali modulari Gallus potuit. Eius-

modi autem argumenta, si tanti est, haec nominare liceat, Hylan a nympha raptum, Hyacinthum et omnino illud metamorphoseon genus, cuius vestigia multa apud Euphorionem apparent. Sed hoc quidem levius: maioris momenti illud est. In sexta ecloga, qua egregie a Vergilio laudes Galli canuntur, fingit poeta, quomodo Gallo a Musa in Heliconem montem perducto Linus vates divinus calamos Musarum donum, quos antea Hesiodo dederant, tradens haec verba dixerit:

Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat,
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.

His verbis Vergilius ad id Galli poematium, spectat quo originem Grynei nemoris celebraverat. Idem argumentem tractavit Euphorio in quinto, ut suspicatur Meineke, Chiliadum libro, servavitque ex eo nonnulla quamvis temere conflata Servius (ad ecl. VI 72) = M. 46.

VI.

Nonnus quid ex Euphorione hauserit.

Viri doctissimi quotquot Nonniano operi Διονυσιακῶν curam operamque impertiverunt, ut de studiis in carmine ipso recensendo atque emendando versatis taceam, duplex consilium secuti videntur. Aut enim quas metricas leges ille in rythmis componendis diligens et perpolitus poeta sibi statuerit, comparatione facta cum Homericis Callimacheisque numeris certatim quaesiverunt aut quae verba, quas sententias, quos

etiam in dicendo colores ex illis exemplaribus mutuatus esset, scite indagaverunt. Fabulas vero, quibus passim per amplissimum opus quasi ostentandae causa remotae doctrinae, velut claris luminibus orationem satis fusam dixstinxit, quibus auctoribus debeat, ad hoc accuratius explicandum nemodum, quantum video, accessit. Modo de uno Callimacho exceptionem facias. Huic enim pauca quaedam interpretes e Nonni carmine restituerunt: sed discerpta haec hoc illove loco leguntur. Et quamquam a multis iam viris doctissimis cognitum est apparere vestigia haudquaquam rara Alexandrinarum apud eum litterarum, quamquam saepius in transcursu similitudo quorundam locorum Nonniani carminis cum ab aliis tum a Meinekio, cuius ingenio ut in prioribus ita in hoc quoque capite multa debeo, levissime adumbrata est, desideratur tamen adhuc quaestio, qua haec omnia collecta atque ratione disposita sint. Et equidem hoc loco pauca, de Nonno disputaverim Euphorionis imitatore atque compilatore, cum unum locum e Nicandro petitum praemiserim.

Scorpium illum, quo vulneratus est Orio, Nicander dicit χαλαζήεντα, tralaticia quidem significatione quippe eum, qui mordendo in iis quos laedit sensum grandinosi vel gelidissimi frigoris efficiat. Quod epitheton Nonnus, cum eandem rem describeret, retinuit, neque tamen ad ipsam bestiam, sed ad stimulum eius, quem ille τεθηγμένον vocarat, audaciam Nicandreae locutionis vitaturus adhibuit. Uterque autem, quo modo rem persecutus sit, hic habes. Nicander Ther. 13.

Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
σκορπίον, ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπέχρα
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.

αὐτὰρ ὅ γε στιβαροῖο κατὰ σφυρὸν ἤλασεν ἴχνευς
σκορπίος ἀπροϊδὴς ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας.

Nonnus IV, 338.

ἧχι ποτ' Ὠρίωνα δυσίμερον υἱέα γαίης
σκορπίος ἀστόργοιο βοηθόος Ἰοχεαίρης
τηλίκον ἐπρήνιξεν, ἀνυμφεύτοιο θεαίνης
ἀκροτάτην ἔτι πέζαν ἀνασπείλαντα χιτῶνος
ὁ βραδὺς ἑρπύζων, χθόνιον τέρας, ἀντιβίου δὲ
ταρσὰ χαλαζήεντι τυχὼν ἐχαράξατο κέντρῳ.

Illud autem, quod perite ac callide adiecit Nicander ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας ad notissimum proverbium alludens, respuit inelegantior imitator. Sed ut ad Euphorionem veniam, carmen eius quod Διόνυσος, sive hoc peculiare opus sive, quod verisimilius est, partem Mopsopiae fuisse credas, inscriptum est, Nonnus expressit, cum in Διονυσιακῶν libris eandem fere rem tractaret. Atque filum rerum a deo illo gestarum e fragmentis Euphorionis relegere conantibus primo loco ponendus est hic versus (fragm. 15),

ἐν πυρὶ Βάκχον δῖον ὑπὲρ φιάλης* ἐβάλοντο.

Dionysum Zagreum, Jovis et Proserpinae filium, postquam Titanes divulserant (VI, 173), novus Dionysus ortus est corpore in varias formas mutabili, qui item cum se tauri figura abdidisset, Junonis consilio a Titanibus gladiis dilaceratus est. Ad hanc rem a Nonno (VI, 204) ita enarratam :

καὶ θρασὺς ὤκλασε ταῦρος · ἀμοιβαίῃ δὲ φονῆες
ταυροφυῆ Διόνυσον ἐμιστύλλοντο μαχαίρῃ.

versus ille Euphorioneus spectare videtur, praeterquam quod dissecta dei membra etiam ab hostibns flammis ille tradita esse auctor est. Anterioribus eum versibus corpus dei ab illis laceratum finxisse, adno-

tatione Tzetz. ad Lyc. 208, ne qua dubitatio remaneat, confirmari potest: ἐτιμᾶτο δὲ καὶ ὁ Διόνυσος ἐν Δελφοῖς σὺν Ἀπόλλωνι οὑτωσί · οἱ Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη, ἃ διεσπάραξαν Ἀπόλλωνι ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο, ἐμβαλόντες εἰς λέβητα, ὁ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι παρέθετο, ὥς φησι Καλλίμαχος καὶ Εὐφορίων λέγει · ἐν πυρὶ — — Post mortem illius tertius Dionysus oritur, Jovis et Semeles filius, in quem Juno omnes quos possit dolos struit omneque inexpiabilis odii genus profudit. Ita Bacchi custodes consopire parans,

βλαψίφρονα φάρμακα χεῦεν,
Ὅσσ' ἐδάη Πολύδαμνα, Κυταικὴ ἢ ὅσα Μήδη.

Cfr. M. 10 et Kaib. Herm. in vol. 22 pag. 507. Ad quas insidias Lobeck (Aglaoph. 1046) Nonni verba referenda putat 14, 171:

Καὶ Βρομίου φυλάκεσσιν ἐχώσατο. δρεψαμένη δὲ
Θεσσαλίδος δολόεντα δὶ ἀχλύος ἄνθεα γαίης,
μάγγανα φαρμακόεντα καταστaλάουσα κομάων
ὕπνον θελγομένων φυλάκων ἐπέχευε καρήνῳ.

Expeditionem contra Indos factam reditumque dei atque proelia contra adversarios Graecos commissa ex uno alterove fragmento comperimus. Versum Euphorionis (fragm. 71)

Ἄστεα Δυῤῥαχίης τε καὶ ἔθνεα Ταυλαντίνων

comparare liceat cum Nonnianis verbis 44, 1.

Ἤδη δ' Ἰλλυρίης Δαυλάντιον ἔθνος ἀρούρης
καὶ πέδον Αἱμονίης καὶ Πήλιον ἄκρον ἐάσας
Ἑλλάδος ἐγγὺς ἵκανε· (Bacchus sc.)

Steph. Byz. s. v. Δυῤῥαχία. — λέγεται καὶ ἡ χώρα τῆς Ἰλλυρίας Δυῤῥαχία. Quorum versuum priori si cum Euphorioneo similitudinem quandam intercedere concedas, simul manifestum fit, quo conexu rerum verba Euphorionea cum ceteris cohaeserint. Jam expugnationes urbium Argi et Mycenarum Euphorio descrip-

sit fragm. 16 in fine, ὁ δὲ Εὐφορίων οὐκ ὀρθῶς λέγει περὶ τοῦ Διονύσου, ὅτι ταῖς γυναικείαις τάξεσιν ἐγκελευσάμενος ἐπρήνιξε τὴν Εὐρυμέδοντος πόλιν, τουτέστι τὸ Ἄργος. Εὐρυμέδων δὲ ὁ Περσεὺς ἐκαλεῖτο. Cum his consentit versus Non. 47, 668, καί νύ κεν Ἄργος ἔπερσε καὶ ἐπρήνιξε Μυκήνας. Retinuit igitur ex illo exemplari tralaticium sensum verbi πρηνίζειν, ob quem Euphorio a grammatico quodam Et. Magni 687, 26 reprehenditur.

2. Adiciamus nunc aliquot fragmenta Chalcidensis poetae, quae quibus carminibus assignanda sint, non pro comperto habemus. Primum quidem integrum Euphorionis versum Ἀγχίαλον Βραυρῶνα κενήριον Ἰφιγενείης (fragm. 81) in suum librum transferre non veritus est = 13, 168, atque id in ea carminis parte, ubi exercitum Atheniensium Bacchum secutum dum percenset, multa proferat ad Atticas fabulas pertinentia, quales Euphorionem in Μοψοπίας carmine narravisse probabili ratione conicias. Gravius vero id accedit, quod Nonnus contra Euphorionem, a cuius auctoritate pendeat, quodammodo dicit et consulto rem immutat. Ut Wilamouitz exposuit, (Herm. in vol. 18, 260) dixerat ille Braurone fuisse κενὸν ἠρίον, unde ipsum ἠρίον alio loco demonstratum finxisse eum sequatur. Nonnus autem Brauronense κενήριον intellexit eum locum, ubi f a l s a o p i n i o n e Iphigeniam immolatam esse traditum esset — scilicet ab Euphorione. Nam paucos versus antea vulgarius illud Aulidense sacrificium commemoravit v, 105.

Αὐλίδα
ἧχι θεὰ βαρύμηνις ὀρεσσαύλῳ παρὰ βωμῷ
δέκτο θυηπολίην ψευδήμονος Ἰφιγενείης,
καὶ κέμας οὐρεσίφοιτος ἀμεμφέι καίετο πυρσῷ
ἁρπαμένης νόθον εἶδος ἀληθέος Ἰφιγενείης.

3. Age quod in eodem XIII libro atque ante hunc ipsum locum (v. 96 seqq.) turpissimam de Orionis natalibus historiam in omnibus partibus ad Euphorioneum exemplar plane conformatam inseruit.

Οἵ θ' Ὑρίην ἐνέμοντο θεηδόκον οὖθαρ ἀρούρης,
ξεινοδόκου μεθέπουσαν ἐπωνυμίην Ὑριῆος,
ἧχι Γίγας ἀπέλεθρος ἀπειρογάμων ἀπὸ λέκτρων
Ὠρίων τριπάτωρ ἀπὸ μητέρος ἄνθορε γαίης.
εὖτε θεῶν τριγόνοισιν ἀεξηθεῖσα ῥεέθροις
εἰς τόκον αὐτοτέλεστον ἐμορφώθη χύσις οὔρων,
αὔλακα νυμφεύουσα τελεσσιγόνοιο βοείης,
καὶ χθονὸς ἄσπορον υἷα λαγὼν, μαιώσατο βύρσης.

Singula autem persequi cum iam non opus esse arbitrer, unum hoc addendum est, ne quis in eo offendat, quod Orio vel Hyrieus in urbe Hyria natus esse dicitur, cum Euphorio Tanagram patriam eius vocaverit. Hyria enim modo potestati Tanagraeorum, modo Thebanorum quia subiecta erat, nuncupatur etiam Orio Tanagraeus aut Thebanus. Hygin. astr. II 34. Paus. IX 20 [3]. Strabo 404 al. l.

4. Schol. Nic. Th. 288 = M. 60. Haec tradit: ψολόεις, τρία σημαίνει ἡ λέξις, ἔστι γὰρ ψολόεν τὸ μέλαν, τὸ σποδοειδὲς, τὸ λαμπρὸν . Εὐφορίων: ἢ Αἴτνην ψολόεσσαν ἐναύλιον ἀστεροπαῖον . λιγνύν τε ψολόεσσαν ἀϊδνήεντά τε καπνόν.

Priorem versum de Typhoeo dici existimo. Nonno auctore cum nervi a Typhoeo e corpore Jovis detracti astutiis Mercurii et Aegipanis redditi essent, Juppiter ulciscendi causa *fulminibus crebris iactis* rebellantem hostem superat superatoque Aetnam montem involvit. cfr. librum II. Idem in l. XIII, ubi vestigia aliquot Euphorionis iam aperui, haec dicit (v. 318).

Αἴτνης,
ἧχι πυρὸς κρητῆρες ἀναπτομένης ἀπὸ πέτρης
θερμὸν ἀναβλύζουσι Τυφαονίης σέλας εὐνῆς.

Iam in corrupta voce ἀστεροπαῖον vide an Jovis epitheton ἀστεροπητής[1] lateat, aptissime ad factum Jovis fulminibus usi quadrans. εὐνῆς porro cum ait Nonnus, ante oculos habet ἐναύλιον Euphorionis et quidem apposite ille σέλας Τυφαονίης εὐνῆς, reddens Euphorionis ψολόεσσαν Αἴτνην, h. e. *nitentem* (λαμπρόν v. supra) Aetnen. Unde eadem fere dixisse Euphorionem conclude atque ita si placet sententiam refinge: ubi Aetnen nitentem iaculator fulminum in Typhoeum volvit. Hoc si mihi largiaris, nulla mutatione scribas ᾗ pro ἡ, cum qua particula Nonnianus versus orditur.[2]

Ita ad sententiam Meinekii, qui de Cyclopibus (?) cogitasse videtur (vellem quidem disertius iudicium suum interpossuisset) non possum facere ut inclinem.

5. Fabulam de Harpalyce ab Euphorione (fragm. 20) accuratius narratam, cum post eum Ovidius extremis velut lineis in transcursu adumbrasset, tertius Nonnus plana imitatione expressit. XII 72.

ἀλλὰ καὶ αὐτή
Ἁρπαλύκη μετὰ λέκτρον ἀλιτροβίων ὑμεναίων
υἱέα δαιτρεύουσα θυγατρογάμῳ γενετῆρι
ἠερίην πτερόεσσαν ἐρετμώσεις πορείην,
ὄρνις ἀελλήεσσα.

Ei etiam transformationem Harpalyces notam fuisse animadvertimus.

6. Nomen Orchomeni urbis a Gratiarum illa ὀρχήσει primus derivavisse Euphorio videtur (66 M.).

---

1 An finxisse Euphorionem ἀστεροπαῖος (Ἀστ.) pro illa voce credendum est?

2 Nonnus, ubi fabulas adpingit, saepius particula ᾗχι utitur, quam nominibus urbium aut terrarum postponit. IV 338, XIII 98, 106, 318, 458 alia. Aeque Quintus Sm. I 294.

Ὀρχομενὸν Χαρίτεσσιν ἀφαρέσιν ὀρχηθέντα, nactus in hac re Nonnum imitatorem, 24, 261

καὶ χορὸν ὠρχήσαντο χορίτιδες Ὀρχομενοῖο.

7. Phlegyas, ferocem et impiam Minyarum gentem, complures Graeciae terrestris partes, ut Phociae, Boeotiae, al. obtinuisse trita opinione inter omnes constat; qui propter audaciam sacrilegiumque (Ovid. M. 11, 414) Apollinis sagittis aut Iovis fulminibus pessumditi perhibentur. Euphorio autem eos *insulanos* induxit atque a *Neptuno* interemptos. Servius enim ad. Aen. VI 618 haec adnotat: Phlegyae secundum Euphorionem populi insulani fuerunt satis impii et sacrilegi, unde iratus Neptunus percussit tridente eam partem insulae, quam Phlegyae obtinebant et omnes obruit (155 M.). Nonnum post hoc audias prorsus vestigia Euphorionis prementem 18, 36.

καὶ Φλεγύας ὅτε πάντας ἀνερρίζωσε θαλάσσῃ
νῆσον ὅλην τριόδοντι διαρρήξας Ἐνοσίχθων,

atque in hoc uno ab illo distantem, quod *duos homines* e ruina universae gentis *servatos* esse versibus sequentibus testatur. — Cfr. Pausan. 9, 36, 3. — Hym. Hom. in Apoll. II 100. Quae vero insula intellegenda sit, mihi non certum est. (an Magnesia?) Nonnus de una atque ea satis nota mentionem inecisse videtur.

LOCI POTIORES, DE QUIBUS DISSERUI.

ERRATA :

pag. 7, lin. 11 a parte infer. pro πέμφι ες lege πέμφιγες
» 13, » 16 » » » » Apoline » Apolline
» 16, » 20 » » » » Bov- » Bou-
» 28, » 13 » » » » ἀγχαίλοις « ἀγχιάλοις
